

BRACCESI (Alessandro)

CARMINA (2455 vers)

LIBER PRIMUS - AMORUM LIBELLUS

AD GUIDONEM FELTRIVM URBINI DUCEM

C1_01 v.1 Guido, clara Ducis Federici atque incluta, salve,
 2 Ausonias inter, soboles celeberrima, gentes,
 3 Feltria, cujus jam notum est super aethera nomen.
 4 Vix tria lustra licet tua dum non impleat aetas,
 5 est tamen in teneris virtus maturior annis,
 6 deque tuo forti manat prudentia praecox
 7 pectore, et excelsas agitas res mente : paternum
 8 immortale decus, priscis aequabile saeculis,
 9 tu virtute nova titulis augebis avitis,
 10 et tua majorum superabit gloria famam.
 11 Sed, quamquam laudesque tuas magnique parentis
 12 ipse ego sum cupidus memorandaque dicere facta,
 13 deficiunt vires ad tantae pondera molis ;
 14 nam pater et natus victura volumina poscunt,
 15 dignus uterque sacri facundo pectore vatis.
 16 Quare, age, parva me, monumenta et pignora amoris
 17 accipe, prae cunctis ego te quo prosequor unum :
 18 pellege luminibus placidis quae carmina quondam
 19 lusimus inculto calamo juvenilibus annis.
 20 Novimus et quamvis vena mihi paupere quantum
 21 effluat exiguus lutulento rivulus ore,
 22 me tamen audaces jussit componere versus
 23 imperiosus amor, quem non est temnere tutum.
 24 Qui mortale genus non tantum regnat in omne,
 25 sed sua caelicolas in vincula dura coegit,
 26 impulit ut scriptis ausim committere nugas,
 27 profiteor sacri qui nomina nulla poetae
 28 nec lotum Aoniis caput immersavimus undis,
 29 anserulus niveos inter sed raucus olores,
 30 inter aves blaesus vocales obstrepeo corvus.
 31 Jamque vale, et longaeva tibi tua fila Sorores
 32 concordēs jubeant felicia nectere fata ;
 33 et licet ipsa tibi longissima vita supersit,
 34 sis tamen ut felix per tempora cuncta precamur.

LIBELLI TREPIDATIO SUBEUNTIS PRINCIPIS AULAM

C1_02 v.1 Saepe licet noster tentaverit ante libellus
 2 Guidonis celebres velle subire domos,
 3 saepe licet tulerit gressus ad liminis usque
 4 intrepidus metas attigeritque fores ;
 5 cum tamen aspexit nitidis exulta columnis
 6 atria, digna sacro non nisi rege coli,
 7 auratasque trabes, variis et marmora circum
 8 viva modis, veterum sculptaque busta manu,
 9 intus et egregios vidit clarosque poetas
 10 et loca facundis omnia plena viris,
 11 usque oculos adeo praestrinxit splendor ab alto
 12 defluus, atque ingens induit ora pudor,
 13 ut, majestati potis haud subsistere tantae,
 14 exstiterit, timidus rettuleritque pedes.
 15 Sed tandem fretus mansueti principis aula,
 16 ecce, licet pavidus, regia tecta petit.

PRAEFATIO IN LIBRUM

C1_03 v.1 Forte legent juvenes siqui mea carmina, tantum
 2 haec moneo, arrectis auribus, ante bibant.
 3 Ut sit amor, discant, spes lubrica, somnia, lusus,
 4 perfida sitque fides, sedulus utque dolus ;
 5 Anguis ut herboso lateat sub caespite fallax,
 6 noxque sit ut fulgens, ut tenebrosa dies,
 7 sollicitus timor ut, ratioque pigerrima, carcer,
 8 praecipites ducit quo via lata viros ;
 9 exitus ut multis erroribus implicet omnes,
 10 multivagisque pedes ambiat ille plicis ;
 11 gaudia sint illic ut tristia laetaque damna,
 12 cura vigil semper, dulcis inersque dolor.
 13 Denique cognoscant, miseris mortalibus ut sint
 14 condita nulla solo dira venena magis,
 15 sed tamquam crudele nefas pestemque timendam
 16 effugiant laqueos, saeve Cupido, tuos.

LIBELLI PRINCIPIUM

IN QUO NARRAT AMORIS INITIUM ET FLORAM EIUS PUELLAM LAUDAT

C1_04 v.1 Ruperat ulla meos non dum anxia cura sopores
 2 nec me dum verus sollicitarat amor,
 3 non dum expertus eram pharetrati numinis arma,
 4 nec mea dum pallens tinxerat ora color -
 5 tela sed imprudens hostilia nulla timebam,
 6 et metus in nostro pectore nullus erat -,
 7 armatus cum me jaculis aggressus inermem
 8 in caput insiluit fortibus ille meum,
 9 opposuitque mihi radiantia lumina Florae,
 10 pulchrius in tota qua foret urbe nihil
 11 esset ut aeterno quae me consumeret igne

12 collaque perpetuo subderet una jugo.
 13 Cujus saepe licet formae mihi nota fuisset
 14 fama prius, nostri causa futura mali,
 15 hanc non ante tamen quam cum mea corda Cupido
 16 fixit, viderunt lumina nostra deam.
 17 Tempore namque fuit visusque et vulnus eodem :
 18 cura oculis subito prompta sagitta fuit.
 19 Nec secus imbrifero saepe alta Ceraunia vere
 20 igne calent, celeri fulmine tacta Jovis,
 21 quam miser ut vidi visamque repente cupivi,
 22 illius extemplo captus amore fui ;
 23 ac tenerae veluti cerae quicumque character
 24 imprimitur, propere concipit illa tenax,
 25 sic impressa meis dominae florentis imago
 26 est oculis, ullo non peritura die ;
 27 Aeoliae nec tot fabricat Vulcanus in antro
 28 vincla catenatis nexibus aut Lipare,
 29 quot crudelis amor circum mea colla revinxit,
 30 non nisi vix misera dissoluenda nece.
 31 Sed licet exagitent hi nunc mea corda calores,
 32 ardeat assiduo pectus et igne meum,
 33 non tamen hoc uri rapido dedignor ab aestu,
 34 nec mihi difficile est haec in amore pati.
 35 Nec Steropes quicquid, Brontes vastusque Pyracmon,
 36 ignis habent, quicquid Sicelis Aetna vomit,
 37 effugiam, domina modo non contemnar amata,
 38 nec se difficilem praebeat illa mihi,
 39 dum modo se nobis saltem patiatur amari,
 40 si non dura Florae pectora versat amor.
 41 Nam queat haec pulchris forma certare deabus,
 42 nam queat haec forma vincere Tyndarida.
 43 Huic talis facies, quali te, candida, Marti
 44 olim, Erycina, tuo concubuisse ferunt ;
 45 tales huic oculi, quales duo sidera possis
 46 dicere vel geminas credere nocte faces ;
 47 huic minio labrum certe nil distat Ibero,
 48 dens ebore est illi candidiorque nive ;
 49 flavus et in nodos per lactea colla reflexus
 50 crinis et heroas ureret atque deos.
 51 Denique tam pulchra est, tam nulla in corpore menda,
 52 exstet ut in toto pulchrius orbe nihil.
 53 Hanc ego, nec fallor, caelestia numina credo
 54 certatim manibus composuisse suis,
 55 altera quo terris facies humana rediret,
 56 pro qua vel rursus Troja cremanda foret.

GENUS SUUM EXCUSAT, AMANTIS MORE SE IACTAT,
 NOBILITATEM VIRTUTI INESSE DICIT, HORTATUR AC POLLICETUR PLURA

C1_05 v.1 Stemmata si veterum nequeo jactare parentum,
 2 ducitur a claris nec mihi sanguis avis,
 3 si neque majorum possum numerare triumphos,
 4 si celebrat gentem gloria nulla meam,
 5 si mihi nec multis scinduntur jugera aratris,

6 nec Lybiae segetes horrea nostra replent,
 7 nec Pario nobis insignia marmore fulgent
 8 tecta, nec archetypis atria nostra micant,
 9 si mihi nec multo digitus circumdatur auro,
 10 sique latus nostrum dibapha nulla tegit :
 11 at me Pierides non aspernantur alumnum.
 12 Carminibusque meis doctus Apollo favet,
 13 integritas etiam vitae moresque probati
 14 me faciunt clarum nobilitantque satis.
 15 Praeterea fastu sum non ego turgidus ullo,
 16 ambitiove animum non premit atra meum,
 17 nec mihi divitias, nec celsa palatia regum,
 18 nec scindant posco pingua rura boves :
 19 sunt mihi cuncta satis quae sors objecit amica,
 20 utor et ipse mea conditione libens.
 21 Sed mihi tu fulvo, virtus, pretiosior auro
 22 sola places, probitas, ingenuusque pudor ;
 23 haec ego, cunctarum, longe gratissima rerum,
 24 contulerim nullis praemia divitibus.
 25 Nam quid opes, quid regna juvant, quid gemma, quid aurum,
 26 nomina vel priscae quid generosa domus,
 27 singula quandoquidem fortunae lusibus acris
 28 subdita sunt, nullis fortia praesidiis ?
 29 Permanet at virtus nullis obnoxia fatis,
 30 et comiti numquam vellitur illa suo,
 31 eripiturque viris numquam, seu munere functis
 32 vitae, seu quibus est sanguis et aura comes.
 33 Innumeris homines opibus firmisque reponit
 34 sedibus, aeternos haec facit una viros,
 35 unica nobilitas haec est et sanguinis imus
 36 splendor, divitiae, gloria, fama, genus ;
 37 haec praeclara hominum cunctorum stemmata reddit,
 38 ac titulis tollit nomen in astra novis.
 39 Si mihi tu placidos igitur monstrabis ocellos
 40 teque meis votis praebueris facilem,
 41 o quam te celebrem reddent mea carmina, Flora,
 42 et notum per me quam tibi nomen erit ;
 43 nam dabis ingenium nobis in carmina summum :
 44 tu mihi Calliope, tu mihi Phoebus eris !
 45 Te neque laude sua superabit amica Tibulli,
 46 nec cui deliciae passer amatus erant ;
 47 Cynthia non vincet numeris cantata Properti,
 48 praestiterit nec te pulchra Neaera magis,
 49 formosam poteris Galli superasse Lycorim,
 50 Nasonis cedet bella Corinna tibi.
 51 Denique tu cunctis certabis, Flora, puellis,
 52 carmine quas celebres Musa vetusta facit.

AD FLORAM

C1_06 v.1 Ut solet incautus fatales piscis ad escas
 2 currere, quas vitreis contegit hamus aquis ;
 3 nocturno simplex etiam ceu tempore quaerens
 4 in tenebris, ductus lucis amore, diem,

5 ardentem volitat circum, laevo omine, testam
 6 papilio, donec totus ab igne perit :
 7 sic ego saepe mihi mocituris cogor ocellis
 8 offerre, et damnis sedulus esse meis,
 9 ad quos dura trahunt nolentem fata videndos,
 10 et scio me, quod edat molliter ossa sequi,
 11 nec tamen invenio quaesitum pellere morbum
 12 optatumque malum qua ratione queam.
 13 Nam formosa ferox adeo tua lumina bellum
 14 assiduo mecum, candida Flora, gerunt,
 15 ut proprias his te sedes posuisse, Cupido,
 16 atque tuis alis nidificasse putem ;
 17 improbe, letiferas promissis namque inde sagittas,
 18 capsas, vincla, dolos, spicula, rete, faces.
 19 In summo Titan paulatim monte resolvit
 20 ut gelidas calido fervidus ore nives.
 21 Sic tua me lenta consumunt lumina flamma,
 22 exitium capiti perniciesque meo.
 23 Quis neget esse oculos pharetrati numinis arma,
 24 materiam, stimulos, vulnera, tela, manus,
 25 urere cum possis oculis stellantibus Hebrum,
 26 astrictis glacie cum magis horret aquis,
 27 et mollire queas silices, adamantaque durum,
 28 flectere vel tigres omnigenumque pecus ?
 29 Phorcynis mutasse viros in saxa Medusa
 30 dicitur et formas supposuisse novas :
 31 altera tu rursus versaris in orbe Medusa,
 32 cui similes vires maxima forma dedit,
 33 me nunc in glaciem quoniam, modo vertis in ignem,
 34 spe modo nostra replet et modo corda metu ;
 35 cum libet, ingenio vires animumque ministras,
 36 cum placet, insipidum me timidumque facis ;
 37 tempore saepe hilarem tristem me reddis eodem,
 38 elicis et risus, exprimis et lacrimas.
 39 Carpathio solitum non plures vertere sese
 40 in formas Proteum gurgite fama refert,
 41 quam tu, Flora, meos transformes, aurea, sensus,
 42 ingenium, mores, arbitriumque simul.
 43 Occiduas qualis sol cum se mersit in undas
 44 cuncta nigris tenebris nocte silente replet,
 45 densa oculos talis nostros caligine complet
 46 lux tua, se postquam subtrahit illa mihi.
 47 Ac tibi discedens, vinctamque aegramque relinquo
 48 tunc animam, mecum corpus inane ferens ;
 49 anxia nam totiens ut te, sua vincla, sequatur,
 50 corpore, vera loquor, vellitur ipsa meo,
 51 me quotiens cupide linqvis te, Flora, videntem,
 52 expellit quotiens clausa fenestra procul.
 53 O quam me miserum, quam tristem reddit amantem
 54 hic, ubi non video te, mea Flora, locus ;
 55 nam quicquid tota cerno te praeter in urbe,
 56 id mihi langorem maestitiamque parit.
 57 Denique nil cupio nisi te, formosa, videre,
 58 aspectu quoniam stat mea vita tuo,
 59 est qui nostrorum requies et causa laborum
 60 atque mei finis principiumque mali.

61 Effugisse velim, sed me radiantis ocelli
 62 splendor in arbitrio non sinit esse meo,
 63 in partem valeam cum me convertere nullam,
 64 quin facies oculis sit tua juncta meis.
 65 Mille licet rerum species ac mille figuras
 66 aspiciamque uno tempore plura licet,
 67 ora tamen video tua, formosissima, tantum,
 68 ardenti misero cerneris una mihi.
 69 Denique carminibus possem comprehendere nullis
 70 quam tua me vinctum lumina sacra tenent,
 71 quis ego cum careo, male tunc me vexat amantem,
 72 tunc gravis exagitat pectora nostra dolor.
 73 At, siquando tuos erga me flectis ocellos,
 74 aetherei quos tu fulguris instar habes,
 75 nullus amans toto est tunc me felicior orbe,
 76 aequalem me tunc regibus esse puto.

CONTEMNIT URBIUM CULTORES

C1_07 v.1 Qui colitis variis studiis atque artibus urbes
 2 perpetuumque intra moenia fertis onus,
 3 nec fugitis plebis vanos audire tumultus,
 4 at juvat insani turba molesta fori,
 5 auratasque domos penetratis et atria regum,
 6 quos agitat semper ambitiosa lues,
 7 quos nimium cupidos grandique libidine captos
 8 sollicitant misere, dum cumulantur, opes,
 9 nil mihi vobiscum : non haec me cura fatigat.
 10 Sit procul haec a me pestis iniqua diu.
 11 Namque movent nil me regali splendida luxu
 12 tecta, nec insigni marmore fulcta domus ;
 13 non animum mentemque favor civilis et aura
 14 vel plausus dubiam corripuere meam ;
 15 Sarranoque juvat nil me requiescere lecto,
 16 fessa nec in Tyrio membra fovere toro,
 17 Assyrio vestis nec me fucata veneno,
 18 aurea nec Baccho pocula fusa premunt :
 19 sed mihi rura placent tantum villaeque salubres,
 20 saltus, et a variis cognita lustra feris ;
 21 collis, et irrigui pictis in vallibus amnes,
 22 lucus, et umbrosis montibus antra placent,
 23 quandoquidem retinent caram dulcemque puellam,
 24 qua sine despiciam maxima regna Jovis :
 25 pro qua vel possim tutus deponere vitam
 26 atque subire queam cuncta pericla libens !
 27 Quae postquam apricos hilaris migravit in agros
 28 prataque multiplici mollia flore colit,
 29 o ego quam cupio totos perferre labores
 30 ruris et aestivi taedia ferre canis :
 31 insuetumque jugo possim vel subdere collum,
 32 scindere vel duram laetus arator humum !
 33 Hic neque turpe mihi dominae servilia blandae
 34 officia exstiterit quaeque subire meae,
 35 lilia quae manibus nunc candida carpit eburnis,

36 nunc legit et violas purpureasque rosas,
 37 nunc vario pulchras contexens flore corollas
 38 imponit capiti pulchrior illa suo,
 39 et modo narcissum viridi perfundit acantho :
 40 omnia sic late complet odore loca.
 41 Naiades hanc ducunt circum de more choreas
 42 mutatisque canunt carmina docta notis ;
 43 Pan ovium custos, Fauni, Satyrique bicornes,
 44 cunctorumque simul rustica turba deum,
 45 illius a facie nequeunt avertere visum :
 46 suspirant, forma dispereuntque nova.
 47 Gratia tanta soli est, caeli clementia tanta
 48 hic, ubi Flora trahit pulchra puella moram,
 49 mitius ut spirent illic Eurusque Notusque,
 50 saeviat atque minus horrida semper hiems.
 51 Deprimit insanos illic et temperat aestus
 52 aura levis, non huc fulmina dira cadunt ;
 53 ipsa ferunt illic segetes felicius arva,
 54 omnia sunt illo fertiliora solo ;
 55 sponte sua veniunt illic et mitia poma,
 56 pampinea tegitur dulcior uva coma.
 57 Denique tam rarae tanta est reverentia formae,
 58 insit ut huic numen, quem colit ipsa, loco.
 59 Urbs procul esto igitur, vos o salvete, puellae,
 60 rura, voluptates hospitiumque meae ;
 61 vosque valetate mei suaves doctique sodales,
 62 nil quibus, hanc praeter, carius esse solet.
 63 Forte diu posthac vos non mirabor in urbe,
 64 cum dominam teneant dulcia rura meam.

AD FLORAM EXCUSATIO, ROGAT EAM ET HORTATUR AD AMOREM

C1_08 v.1 Hei mihi, difficile est rapidas abscondere flammam,
 2 difficile est morbum dissimulare gravem :
 3 quam miser est clauso siquis comburitur igni
 4 et caecum tacito pectore vulnus alit,
 5 quam stolidus siquis celando vincere amorem
 6 sperat, et ardentes pellere corde faces.
 7 Hei mihi, suppressus vehementius urit amantes
 8 et magis extremis ossibus haeret amor :
 9 quove magis frenatur, eo magis ille reluctat,
 10 inclususque suum fortius urget opus,
 11 hei mihi, dum cupio tecum, mea Flora, calorem
 12 dissimulare meum, panditur ille magis.
 13 Sic ego tela mihi, demens, nocitura paravi
 14 atque alimenta meis ignibus ipse dedi ;
 15 ut male dissimulo, sic sum male percitus aestu :
 16 quam struxi, in miserum est versa ruina caput.
 17 Saepe tuos equidem finxi contemnere ocellos,
 18 cum mihi siderei luminis instar erant ;
 19 saepe tuos fugi ne possem cernere vultus,
 20 inspicerem cum te saepe juberet amor ;
 21 saepe graves iras expressimus ore minaci,
 22 cum mea nimirum mitia corda forent.

23 Nec puduit varias interdum quaerere causas,
 24 siqua animum posset laedere forte meum.
 25 Denique tentavi quicquid leniret amorem,
 26 quave meus fieret mollior arte calor :
 27 sed nihil inveni, quod non cumulaverit ignem,
 28 uxerit et quod non arida corda magis.
 29 Haec ego tentavi, sed non meus ardor habenas
 30 laxavit misero duraque frena mihi.
 31 Urimur haud aliter quam cum spirantibus Euris
 32 ardet in exstructo pinea taeda rogo ;
 33 urimur, ac teneras est mollis flamma medullas :
 34 Braccius indomitis ignibus ardet amans.
 35 His igitur laqueis ego cum sim, colla revinctus,
 36 ex illis ut me solvere nemo queat -
 37 tu nisi propitias herbas viresque salubres
 38 addideris, in nos ni fuerisque pia
 39 non pudet idcirco victumque humilemque precari,
 40 meque tuis pedibus flectere utrunque genu.
 41 Supplicis exaudi querulas, mitissima, voces,
 42 da tua sit votis aura secunda meis.
 43 Parce, precor, tecum si sum conatus amorem
 44 occulere, et vulnus dissimulare meum,
 45 sed, pia, da veniam, nostrum miserata laborem,
 46 atque citam misero, dextera, perfer opem.
 47 O decus eximium, nostrae spes unica vitae,
 48 fac repetas meritis praemia digna tuis.
 49 Per tibi siqua mei pietas est, cara puella,
 50 per tua quaeque magis lumina sole micant,
 51 per Venerem, quaeso, natique Cupidinis arma,
 52 perque deos omnis, te, mea nympa, precor :
 53 flecte, ferox, animum, jam jam succurre labanti ;
 54 Tu potes auxilio me retinere tuo.
 55 Me tibi servandi soli est concessa potestas,
 56 una manus vitam continet, una necem.
 57 Tolle moras, properansque meo medicare dolori,
 58 me miserum tantis exime, Flora, malis.
 59 Est regale quidem facinus succurrere fessis :
 60 hoc opus humanos caelicolasque decet.
 61 Si precibus surdas hominum det Juppiter aures,
 62 nulla suis aris victima caesa cadet ;
 63 Tu quoque si immitis nostris atque aspera votis
 64 exstiteris, precibus duraque, Flora, meis,
 65 nullus amator erit, nulli tua forma coletur,
 66 deficiet turpi sed magis illa situ.
 67 Mitia quid prodest ficum sua poma tulisse,
 68 haec sua si nulli carpere poma licet ?
 69 Quid rosa vel prodest hortis sit plurima cultis,
 70 quam sit odori ulli si cadat illa prius ?
 71 At neque prata quidem tantum quod flore decorem
 72 illa ferant prae se versicolore juvant,
 73 sed quoque quod suaves illinc haurimus odores,
 74 quod legere et flores quoslibet inde licet.
 75 Ergo age, dum plena floret tibi forma juventa,
 76 dum tibi purpureus circuit ora color,
 77 lactea dum tremulis implentur pectora mammis,
 78 membra tibi dum sunt candidiora nive,

79 si sapis, alterno mecum certabis amore,
 80 dulcia nocturno proelia Marte geres :
 81 et mihi forma decens, aetas est apta labori ;
 82 cetera nec desunt digna favore tuo.

AD FLORAM

C1_09 v.1 Cur miserum, formosa, fugis, cur temnis amantem,
 2 candidior tenera frigidiorque nive ?
 3 Conspicuae ne adeo tumidam fiducia formae
 4 te facit, ut scopulis surdior esse velis ?
 5 Heu, tibi nota nimis facies tua : causaque fastus
 6 est speculum tanti, Flora superba, tui,
 7 quod, nisi compta prius fueris, non aspicias, illinc
 8 discedis quoniam semper acerba magis.
 9 Sic tibi duritiam, fastum sic forma ministrat
 10 cognita, sic fidum spernis, iniqua, procum.
 11 Et Venus Anchisem sacro dignata cubili est :
 12 non homini puduit concubuisse deam,
 13 sit licet haec reliquis formosior una deabus,
 14 furta sui quamvis dulcia Martis amet.
 15 Quem latet Aegeriamque Numae, Nereida Phthio
 16 quisve Thetim nescit concubuisse duci ?
 17 Immitis quam poena manet, quae temnit amantes,
 18 multarum exemplo cautior esse potes.
 19 Quod renuit Daphne Phoebum, Peneia virgo,
 20 fit laurus duro cortice, nympa prius ;
 21 Pana fugit dum stulta deum Syringa, palustres
 22 vertitur in calamos rusticitate sua ;
 23 montibus elusit nymphas, Cephisius altis,
 24 nec precibus flecti nec lacrimis potuit ;
 25 exigit ergo ultrix meritas Rhamnusia poenas,
 26 namque suae formae captus amore perit ;
 27 Aurorae Cephalus stulte connubia liquit,
 28 ore licet nitido nobilis illa foret ;
 29 indignata dolum nectens dea, Procrin amatam
 30 fecit ut uxorem perderet ille suam.
 31 Crede mihi, similis tibi sors miserabilis instat,
 32 ni minuas tantum, Flora, supercilium.
 33 Formosas scelus est odisse Cupidinis arma :
 34 Pulchra quidem nulla est, sit nisi corde pio.
 35 Tu quoque, ne, mea lux, Tuscas spectabilis inter,
 36 sola, nurus frustra bella puella sies,
 37 non me despicias, cum sim tibi fidus amator,
 38 cum per me clarum nomen habere queas.
 39 Nam, nisi tu nostris cantaberis una libellis,
 40 materiamque meis versibus una dabis,
 41 quid te forma juvat, formae si perdere caros,
 42 stulta, putas annos ac juvenile decus ?
 43 Deficit, heu, furtim rapiturque volatilis aetas,
 44 labitur et velox non reditura dies.
 45 Perpetuus non est aevi flos : lilia sole
 46 marcescunt uno, purpureaeque rosae.
 47 Forsitan ipsa putas me dissimulanter amare

48 et dare formosae subdola verba tibi.
 49 Esse mei possunt certissima signa caloris
 50 et color et macies sedulitasque procax,
 51 demissi vultus, suspiria, lumina saepe
 52 humida, quin etiam continuata fides.
 53 Sint mihi dii testes : oculis pulcherrima nostris
 54 semper es ; e cunctis tu mihi sola places.
 55 Me nivea torquent redimiti fronte capilli,
 56 lumina sideribus lucidiora poli,
 57 et facies, quae sola meos conturbat ocellos,
 58 pectora Sithonia candidiora nive.
 59 Te queat, heu, nemo spectare impune puellam,
 60 a quo non ullus vulnere sanus abit !
 61 Hoc quoque non potui infelix avertere telum,
 62 quod spiculo fodit pectora nuda suo ;
 63 et licet ipse diu pugnarem, vertere terga
 64 cogis et ante pedes prostituisset tuos.
 65 Perdere sola potes me, reddere sola beatum :
 66 elige utrum malis, jam, mea Flora, precor !
 67 Conveniens annis Venus est placidissima nostris -
 68 formosa es, fateor, sum neque turpis ego -
 69 florentes ambos juvenilis coppulat aetas,
 70 sunt et quas noster sollicitavit amor,
 71 inque meos cupiant amplexus ire : sed una
 72 me prohibes cunctis, Flora, quod una places.
 73 Ut facie pulchra es, sic debes mitior esse ;
 74 non bene forma simul rusticitasque sedent.
 75 Esto igitur clemens, vultus depone severos :
 76 jam pia, jam precibus annue, victa, meis !

AD FLORAM

C1_10 v.1 Principio vidisse satis pia lumina Florae
 2 cervicem roseam satque videre fuit,
 3 principio mihi castus amor, quem prorsus alebat
 4 rustica simplicitas ingenuusque pudor.
 5 Improbis at stimulis me mox dirisque Cupido
 6 incautum coepit sollicitare suis,
 7 qui mea furtiva paulatim pectora flamma
 8 occupat, atque frui cetera posse docet.
 9 Ergo cupidinibus tantum rationis habenas,
 10 arbitrio tantum libera jura dedi,
 11 ut modo, factus inops penitus rationis et expers,
 12 eximere, heu, nequeam subdita colla jugo,
 13 at sibi cottidie vires mea magna libido
 14 vendicat, et partes praeripit usque novas.
 15 Aeger ut indulgens nimium sibi, robora morbo
 16 adjicit, atque sua confovet arte malum,
 17 sic ego materiam studui praebere furori
 18 et capiti insidias imposuisse meo.
 19 Sed licet haec plane norim, nec, fallar amantum
 20 more, tamen nequeo consuluisse mihi :
 21 Ipse volens peream, me nec medicina juvare
 22 ulla potest ; renuo, si tamen ulla potest.

23 Uror et intentus flammis alimenta ministro ;
 24 sponte premor, pressum me tamen esse piget.
 25 Quis modus est igitur tantum sedare furorem,
 26 quis modus hanc miseram vincere posse vicem ?
 27 Siccine fata jubent perimi ? Numquamne querelis
 28 finis erit nostris ? Num sine fine labor ?
 29 O Tuscas inter nimium formosa puellas,
 30 tu ne mihi semper causa doloris eris ?
 31 An tibi propterea talem natura decorem,
 32 et talem faciem, talia membra dedit,
 33 ut mea continuo vexares pectora morbo
 34 meque novis posses excruciare modis,
 35 triste meum posses collum vincire catenis,
 36 ac libertatis jura tenere meae ?
 37 Ergo age, cum data sit de me tibi summa potestas,
 38 atque sub imperio sit mea vita tuo :
 39 aut remove mihi, saeva, faces aut mitior esto,
 40 et mihi captivo libera colla sine.
 41 Trajice letali vel jam mea pectora ferro,
 42 injice mortiferas, Flora superba, manus,
 43 ne miser hoc diro semper consumar ab igne,
 44 vivaque perpetuus neu voret ossa rogos,
 45 postquam aliter tantos nequeo mollisse calores,
 46 nec causam tantae pellere maestitiae.
 47 Namque tuis manibus memet periisse juvabit,
 48 quae mihi non fuerit gloria visa levis.
 49 Et mea condideris cum frigida membra sepulchro,
 50 haec tumulo impone verba notata meo :
 51 "Braccius hic situs est nimio consumptus amore,
 52 intulit huic misero dura puella necem."

CARMINA PETRARCAE IN LATINUM VERSA

C1_11 v.1 Caesar, honoratae cervicis proditor illi
 2 postubi Niliacus tristia dona dedit,
 3 gaudia nota tegens, lacrimas expressit inertes
 4 ex oculis, docet ut pagina prisca, foras.
 5 Hannibal, imperio postquam tot fluctibus acto.
 6 Sors foret ut vidit facta molesta suo,
 7 maesta inter, simulans, lacrimosaque lumina, risit,
 8 ut premeret luctum corde gemente magis.
 9 Sic animus cunctas vario sub tegmine curas
 10 nunc tegit ore hilari, nunc tegit ore nigro.
 11 Invita quare siquando splene cachinnos
 12 exprimo, quin etiam carmina siqua cano,
 13 id facio, quoniam nobis via nulla supersit,
 14 haec nisi, qua lacrimas tristitiamque tegam.

CONQUERITUR SECUM

C1_12 v.1 Si video quae damna sequor, quae pestis adurat
 2 me miserum, nostri quaeve sit esca mali,

3 quid facit a vero tantum procul inscius errem,
 4 quid facit ut penitus sim rationis inops ?
 5 Erratum si nosco meum vanumque laborem,
 6 quid prohibet nequeam juris ut esse mei ?
 7 Si dedit humanos caelum mortalibus actus,
 8 atque ego fessa jugo solvere colla velim,
 9 invitum quid me cogit prohibetque volentem,
 10 quid libertati vim parat usque meae ?
 11 Nosco mali causas, morbum me vincere posse
 12 Hunc scio, si vellem : velle tamen nequeo.
 13 Ergo voluntati quae vis tam magna resistit
 14 arbitrioque adhibet frena proterva meo ?

FLORAM AD AMOREM HORTATUR

C1_13 v.1 Tantum insanus amor tuus in me crescit in horas
 2 et sibi jam tantum possidet ille mei,
 3 totus ut in te sim jam jam conversus amando,
 4 atque ego quod fueram sim modo, Flora, quod es.
 5 Intra me videor tenuem resolutus in umbram,
 6 sensibus et nullis ac sine mente vagus,
 7 jure tuo ut vitam me corpore ducere credam,
 8 jure mihi vivo mortua membra putem.
 9 Quandoquidem sine te vitae mihi nulla supersit
 10 pars, sit et in rebus actio nulla meis,
 11 quo tua me ducunt vestigia, devehor illuc,
 12 quo facies, illuc imperiosa trahis.
 13 Nil ago seu meditor quin coram protinus adsis,
 14 quin tua sint cordi lumina fixa meo.
 15 Te sic perpetua retinemus mente repostam
 16 atque tenaci adeo me tibi fune ligas,
 17 Te malus ut livor nequeat turpisque vetustas,
 18 improba, nec saeva mors abolere manu.
 19 Sed prius inverso labentur flumina cursu,
 20 Luna die, noctu sol agitabit equos,
 21 ante procelloso gaudebunt sidera ponto,
 22 oderit et fretum piscis, et antra ferae,
 23 mitia convenientque feris et mollia duris,
 24 bruma tepens, aestas frigida semper erit,
 25 denique cuncta prius vertet natura creatrix
 26 inducetque novum prodigiosa chaos,
 27 sit potis ex animo quam fors extinguere vultus
 28 ulla tuos, medio qui mihi corde sedent :
 29 Nestoreos etiam si me contingeret annos
 30 vivere, non poterit ulla placere magis.
 31 Quare age, cum tecum nos immutabile fatum
 32 junxerit, ac sine te vivere posse vetet,
 33 da mihi te facilem, fastus depone superbos
 34 et placidas misero porrige, Flora, manus.
 35 Rumpe moras, animique audi pia verba rogantis,
 36 flecte meis precibus mitia corda libens :
 37 nulla potest nostro ferri medicina dolori,
 38 Tu nisi quam dederis mota meis lacrimis.
 39 Ne differre velis, fugientia suscipe dona,

40 muneribus prudens utere facta bonis,
 41 dumque licet, lubricos agnoscas utilis annos,
 42 ne tuus infelix, stulta, senescat ager ;
 43 namque dies pereunt tenerae, velut umbra, juventae,
 44 obrepit celeri prompta senecta pede.
 45 Ipsa dies formam turpes commutat in annos :
 46 quae modo formosa est, mox ea turpis erit.
 47 Aethere non rapidus spirat velocius Auster,
 48 ocius haud caelo fulmina missa cadunt,
 49 quam subito fugiunt redeuntia tempora numquam,
 50 quam celer assidua vertitur hora rota ;
 51 saepe etiam dirae praerumpunt stamina Parcae,
 52 ante diem saepe mors inopina venit.
 53 Ut flos mane virens suaves emittit odores
 54 gratus et est oculis, est et odore bonus ;
 55 verum, cum, radiis arescit vespere solis,
 56 gratus non oculis est, nec odore bonus :
 57 sic tu, floridulo quae tam nunc ore nitescis,
 58 grata procis exstas, es Venerique bona ;
 59 at, cum te viridem mutarit grandior aetas,
 60 grata procis ullis non eris aut Veneri.

SE IPSUM INCREPAT

Cl_14 v.1 Ergone crudelem sequeris, vesane, puellam,
 2 quae fugit et fidum spernit inepta procum ?
 3 Quid miser ingratham frustra sectaris amicam ?
 4 Praecipitem cur te sponte dedisse juvat ?
 5 Nonne vides ut jam, tenues consumpseris arctus,
 6 et macies toto corpore serpat iners ?
 7 Quo ruis, ah demens, quo te furor impius egit ?
 8 Sicne juvat gravibus te cruciare malis ?
 9 Sicne volens, insane, peris causamque doloris
 10 tam gravis assiduo, stulte, labore foves ?
 11 Cur fragilem tantis lembum revocare procellis
 12 spernis et adverso te placet ire mari ?
 13 Sume animum tandem, prudensque obsiste periclis :
 14 hanc misero tristem, subtrahe corde luem.
 15 Hanc sine : sunt multae, possis quas laetus amare,
 16 cum quibus unus amor, ardor et unus erit,
 17 quae dare vel cupient ultro tibi brachia collo
 18 et stabilis tecum semper amoris erunt.
 19 Ast alium numquam posthac jactabitur illa
 20 incautum tantis implicuisse malis,
 21 sed moerebit iners, talem quod lusit amantem,
 22 atque iterum frustra te revocare volet.
 23 At demens, heu heu, cur frustra haec omnia jacto,
 24 Cur levibus ventis irrita verba cano ?
 25 Hei mihi, non illi facies est talis, ut ignem,
 26 quo me corripuit, perdomuisse queam.
 27 Haec nisi, nulla potest nobis formosa videri,
 28 pulchrior et siqua est, non tamen illa placet :
 29 Candida Flora meos tantum delectat ocellos,
 30 impedit haec vitae liberioris iter.

31 Stulte, quid est mirum ? Pudor est, qui praestat in illa,
 32 et facies, gravitas, virgineumque decus.
 33 Haec decet incessu, roseo spectabilis ore est,
 34 telaque luminibus insidiosa jacit.
 35 Sideribus similes oculos instarque micantis
 36 Solis habet, visum quis hebetare queat,
 37 quis nebulas omnis possit tenebrasque fugare
 38 inque diem noctes vertere, quando libet ;
 39 estque potens illis quoscumque haec perdere, rursus
 40 defunctis vitam reddere corporibus.
 41 At, cum virgineum suffuderit ora ruborem,
 42 dicere tunc ausim pulchrius esse nihil ;
 43 candida cum comit crispo sua tempora crine,
 44 per sua cum spargit lactea colla comas,
 45 tunc lapides mollire queat, tunc saeva furorem
 46 ponere tunc jubeat pectora quaeque suum.
 47 Quam formosa illi facies, frons alta nitensque,
 48 quam nec parva quidem ruga molesta secat !
 49 Sicque Fluentinas inter formosa puellas
 50 emicat, ut stellas sol nitet ante alias.
 51 Serra pares miro discernit et ordine dentes,
 52 qui candore nives aequiparare queant.
 53 Quid referam speciem mentique gulaeque decorem,
 54 pectora quid referam, marmoreasque manus ?
 55 Pulchra quidem tota est Tyrioque nitentior ostro ;
 56 quodque latet multo pulchrius esse decet.
 57 Aspicit hanc nullus, stimulos quin prorsus amoris
 58 sentiat urgentes, invideatque viro.
 59 Certatim laudant omnes faciemque comasque,
 60 miranturque humeros, brachia, colla, manus ;
 61 verbaque laudantur salibus condita facetis,
 62 dulcia facundis vocibus eloquia,
 63 ut, quicumque illam cernitque auditque loquentem,
 64 hanc Charitum matrem dicere jure queat,
 65 Corneliam possit Gracchorum dicere matrem,
 66 cujus ab ore velut Attica mella fuunt.
 67 Praeterea digitis citharam sic pulsat eburnis,
 68 ut rapidis possit sistere flumen aquis,
 69 possit ut infernis Manes accersere tristes
 70 sedibus, atque canis ora trisulca feri.
 71 Sic canit ut Syren, possitque ut saxa movere,
 72 et mulcere feras, vincere Pieridas.
 73 Haec dea, vel saltem nympa est superumque propago,
 74 conjugio tantum digna puella Jovis.
 75 I nunc, atque adeo praestantem, stulte, puellam
 76 desere ; conceptas, i modo, pone faces.

AD AMOREM CONQUERITUR

C1_15 v.1 Quid me tam longo miserum consumere bello
 2 Te juvat, o capitis hostis acerbe mei ?
 3 Assiduis quare torques mea pectora flammis,
 4 nec requiem capiant languida membra sinis ?
 5 Tune novas adeo semper, deus improbe, tendes

6 insidias misero pernitiemque mihi,
7 ut requiem tanto nullam velis esse labori,
8 sed terere assidua pectora nostra rota ?
9 Nonne diu, nimiumque diu, crudelia corde
10 vulnera gestavi, saeve Cupido, tua ?
11 Vix mea bis septem messes conspexerat aetas
12 et lanugo meis non erat ulla genis,
13 cum tua me tenerum traxisti in castra rudemque
14 teque sequi cogis militiamque tuam.
15 Et modo ter nonum vitae traducimus annum,
16 terque novem soles lumina nostra vident,
17 ex illo duram cogis me ducere vitam,
18 et mea, crudelis, devorat ossa calor.
19 Jamque adeo infelix ego sum consumptus amando,
20 hoc onus ut cupiam ponere morte grave ;
21 namque mori satius, plenam quam ducere vitam
22 mortibus, et leti mille subire vias ;
23 atque minus laedit subito pulsarier ictu
24 assiduo vulnus quam trepidare metu.
25 Te tamen ulla mei pietas movet, improbe, nusquam :
26 perfide, quid mecum tam fera bella geris ?
27 Non adamante, puer, circumdata pectora duro
28 sunt mihi, nec circum stat mea corda silex.
29 Haemoniae non sunt artes, nec Phasidos herbae,
30 filtra minus, nec sunt Marsa venena mihi,
31 ipse quibus valeam duram flexisse puellam,
32 vel facere ut victas porrigat illa manus.
33 O ego quam, malim bustum nunc marmoris esse
34 atque etiam nullis sensibus esse miser,
35 stare vel in mediis undis immobile saxum
36 aequoris et liquidas frangere linter aquas,
37 quam mea perpetuis ageretur cymba procellis
38 et jactaretur fluctibus assiduis !
39 Desine, saeve puer, neu me crudelius ure,
40 ulteriusque tua neu preme corda face.
41 Sum satis expertus quam sint tua fortia facta,
42 quantaque vis animo, robora quanta tuo.
43 Novimus heroas cunctos hominesque deosque
44 viribus imbelles succubuisse tuis.
45 Me quoque vicisti : fateor nil fortius armis
46 esse tuis, ac te vincere posse nihil.
47 Non ego saevitiamque tuam durosque labores
48 amplius infelix, non ego ferre queo.
49 O igitur, dexter, tantos exstingue calores
50 et medicam nobis ocius affer opem !
51 Per pharetras arcusque tuos validasque sagittas,
52 perque tuum numen imperiumque rogo :
53 effice, si precibus, lacrimis si flecteris ullis,
54 ut sit pulchra minus vel pia Flora magis.
55 Longius at si te miserum delectat amantem
56 urere, meque novis sollicitare modis,
57 et si perpetuo me vis cruciare labore,
58 nec spatium tantis vis superesse malis,
59 quid cessas igitur finem properare cadenti,
60 quin celeri potius perdere morte velis,
61 quam variis nostrae producere tempora vitae

62 suppliciis, omni deteriora nece ?
 63 Ergo jube in cineres vertant se membra rogales,
 64 et cita mors artus occupet una meos ;
 65 et, vacuas postquam fuero dilapsus in umbras,
 66 pallida fac talis contegat ossa lapis :
 67 "Braccius hac humili positus requiescit in urna
 68 quo cum bella diu fortia gessit amor.
 69 Victus ab hoc tandem est, qui vincit cetera ; telis
 70 illius infelix obrutus occubuit".

INVEHITUR IN SOMNUM

Cl_16 v.1 Nonne satis nostrum lux nutrit iniqua dolorem,
 2 nonne dies exstant ad mala nostra satis,
 3 Quod mihi, nox, etiam capses ac vincula tendis,
 4 vincula quod mihi, nox, insidiasque paras ?
 5 Somne, quid heu fallax totiens alimenta furori
 6 materiamque igni suggeris ipse meo ?
 7 Saepe etenim per te videor lasciva puellae
 8 basia candidulis figere nocte genis,
 9 per te saepe meis visa est jacuisse lacertis,
 10 saepe etiam lateri juncta fuisse meo,
 11 est quoque visa imo suspiria ducere corde
 12 dicere : "Me miseram, Braccius urit amans",
 13 et mihi blanditias optataque dicere verba,
 14 delicias et me visa vocare suas ;
 15 oscula quin etiam molli confundere lingua
 16 lubrica, sola meae causa, futura necis.
 17 Plura referre pudet, quae sint licet omnia vana,
 18 pectora nostra tamen certa sagitta ferit.
 19 Quid mecum, insidiose, tibi ? Quid gaudia falsis
 20 ludis imaginibus, perniciose, mea ?
 21 Quid prohibes sana memet dormire quiete ?
 22 Cur animum noctu cogis adesse vagum ?
 23 Hei mihi quod, lassis dulcem praebere quietem
 24 quique levare solet corpora fessa, sopor,
 25 ille novas nostro vires superaddit amori,
 26 atque mihi causa est cur mage tristis amem,
 27 quandoquidem nulla possum requiescere nocte
 28 quin aliquid nostris nexibus addat amor :
 29 sed, postquam sensus deludunt somnia nostros,
 30 utilius nobis evigilasse foret.
 31 Nil te, Somne, magis miseros frustratur amantes,
 32 somne, pharetrati lusus et arma dei :
 33 ipse, die siquis praeduros solvere nodos
 34 tentat amans certa se ratione tuens,
 35 corda novis rursus vincis tu nocte catenis
 36 et faculis mira subjicis arte faces ;
 37 insuper iratam dominam vultuque minacem
 38 concilias, artus dum sopor altus habet.
 39 Vidi ego qui, factus longo post tempore victor,
 40 dira Cupidineae fregerat arma manus,
 41 vani dumtaxat lusum sub imagine somni,
 42 rursus, amor, castris aera merere tuis.

43 Ergo tuae si stat menti sententia talis,
 44 Flora sit ut per te saepe videnda mihi,
 45 conjunctis manibus, precibus si tangeris ullis,
 46 caelicolas inter Somne relate deos :
 47 iratam solum dominam vultuque minacem
 48 mi referas duram difficilemque, precor,
 49 extremi tandem mihi ne sis causa furoris,
 50 neve mori tandem cogar amore miser.

AD FLORAM GRATULATIO CONSECUTI DESIDERII

Cl_17 v.1 Tandem optata meis fulsit lux candida votis,
 2 venit post miseros una beata dies :
 3 Flora meas tandem est longas miserata querelas,
 4 audiit assiduas facta benigna preces.
 5 Advenit jucunda quies memorabilis omni
 6 tempore, carminibus saepe notanda meis.
 7 O mihi lux merito niveis numeranda lapillis,
 8 delicias inter semper habenda meas !
 9 O mihi lux superum nutu concessa benigno,
 10 o faustos inter lux redigenda dies,
 11 qua mihi vel dabitur numquam felicior ulla
 12 eveniet posthac candida nulla magis,
 13 sole magis splendens, radiis cum fulget obortis,
 14 sidere lucidior, candidiorque nive !
 15 O lux, cui similis mihi si contingat amanti
 16 altera, me superis feceris esse parem -
 17 nam mea tum latis non mutem gaudia regnis,
 18 nulla mea certe gloria major erit - ,
 19 felix ille quidem, placidam est qui nactus amicam,
 20 felix, cui dominae janua blanda patet !
 21 Non mihi si dono Florentia tota daretur
 22 ac fierem princeps solus in urbe mea,
 23 promissam domina tentarem spernere noctem,
 24 dulcia desererem dona parata mihi.
 25 O ego quae vidi, feci, tetigique, tulique,
 26 haec animo numquam sunt abitura meo :
 27 singula quae posset vel mens comprehendere nulla,
 28 pagina vel doctis nulla referre notis,
 29 quae tantum meminisse juvat, ut nulla voluptas
 30 exstiterit major, sitque futura mihi.
 31 Attalicos alii nummos, ac divitis aurum
 32 possideant Croesi, lataque regna petant,
 33 ipse ego, dum teneras potero tetigisse papillas,
 34 dum Veneris facili sumere poma manu,
 35 suppositos et dum potero pressisse lacertos,
 36 et dum furtivum carpere basiolum,
 37 cetera despiciam, nec me res ulla movebit :
 38 haec ego divitias imperiumque puto.
 39 Talia vos nobis concedite gaudia, divi,
 40 saepe, et opes aliis imperiumque date.
 41 At tibi pro meritis quae munera digna rependam,
 42 Flora, tuis, gratus quae tibi dona feram ?
 43 Nam tibi si quicquid tellure includitur auri,

44 fert Tartesiaci quicquid arena Tagi
 45 donarem - tantum tibi nos debere fatemur -
 46 officio facerem non satis ipse meo :
 47 sed me perpetuis devinctum nexibus, omne
 48 in tempus voveo, cara puella, tibi ;
 49 jusseris et si me nudos Garamantas et Indos
 50 ire vel ad Tanaim Sauromatasque feros,
 51 multa viae non me terrebunt taedia longae,
 52 tardabitque meum nec labor ullus iter.

AMORIS SERVITIUM

Cl_18 v.1 Esse quid hoc dicam, nisi sit vesana cupido,
 2 sit nisi praecipitans indomitusque furor ?
 3 En amo, re tandem potior laetorque cupita :
 4 venit in amplexus cara puella meos ;
 5 quin aditus ad se raro negat illa roganti,
 6 atque est ad nutus officiosa meos.
 7 Me colit ac reliquis unum praeponit amantem,
 8 nulla viget major pectore cura suo ;
 9 me vocat illa suum regem dominumque salutat,
 10 et sibi me jurat carius esse nihil.
 11 Saepe deos illi me servent fida precatur,
 12 quaeque suis votis numina sollicitans.
 13 Blanditiis mecum certat vincique reluctat,
 14 optat amore suo me retinere diu ;
 15 nec mea rivalis conturbat gaudia quisquam :
 16 Flora procos temnit, altera Penelope.
 17 Et tamen insani sunt omnia plena timoris,
 18 sollicita numquam suspicione vaco.
 19 Dum fruor, interea me mille pericla futuri
 20 visa mei torquent invidiosa boni ;
 21 et quod possideo vereor cito perdere posse,
 22 cum res nulla diu firmior esse queat.
 23 Haec bona tot forsitan subitus mihi casus amanti
 24 eripiet - mecum saepe loquor tacitus -,
 25 forsitan et livor nocuus mihi retia tendit,
 26 sors quoque me miserum, sors inimica manet.
 27 Nunc queror : heu, quamvis mea sit modo Flora, timendum est
 28 ne cras illa quidem facta sit alterius ;
 29 nunc timeo ne me fastidiat, inque priorem
 30 duritiam redeat, rustica ut ante fuit ;
 31 prodita me vexant nimium modo jura pudoris
 32 et laedi vereor artibus ipse meis.
 33 Tristior at solito nobis siquando videtur,
 34 sentio tunc diro vulnere corda premi ;
 35 sique domi festis se continet illa diebus,
 36 hei mihi, curarum milia quanta nocent -
 37 dicimus : aegrotat, sive est irata, vel ardor
 38 hanc aliquis coepit sollicitare novus - ;
 39 lumine si praeter solitum me forte minaci
 40 aspicit, omne mihi tunc perit ingenium,
 41 Frigidus et circum trepidat praecordia sanguis,
 42 supplicium majus tunc mihi morte subit ;

43 durior at nostris siquando nutibus obstat,
 44 qui vivant, reliquis sum miser ipse magis ;
 45 interdum niveo si pallor inhaeserit ore,
 46 aggreditur quantus pectora nostra dolor ;
 47 si socia adfuerit non cognita, lena timemus
 48 ne sit ab impuro fallere missa proco.
 49 Dispeream, si ferre queo det ut oscula mater,
 50 si solito hanc frater laetior inspiciat ;
 51 invideo, secum quod dormiat illa sorori,
 52 tangere quod dominae pectora nuda licet.
 53 Omnia me laedunt, timeo segura, fateri
 54 cuncta pudet ne sim fabula nota nimis :
 55 tam grave servitium miseros comitatur amantes,
 56 implicat et dire tam grave colla jugum !
 57 A me siquis amor quid sit nunc forte requirat,
 58 is mea verba, precor, pondus habere putet :
 59 est amor immitis species male sana furoris ;
 60 solus amor nescit rebus habere modum.

FLORA LOQUITUR

C1_19 v.1 Me miseram, quales torserunt corda dolores,
 2 aegrotum cum te fama proterva refert :
 3 ilicet heu, vittae frontisque honore soluto,
 4 discrucior mentis ac rationis inops.
 5 Haud aliter subitus consternat pectora langor
 6 vitalisque suum, deserit aura locum,
 7 quam cito contabuit moribundo in pectore sanguis
 8 frigidus, exanimis sumque relicta solo.
 9 Ast, ubi vix tandem mihimet sum reddita, abortae
 10 ore natant lacrimae subsequiturque rigor.
 11 Heu, timui ne te graviora incendia febris
 12 corripere, morbi neu tibi causa forent.
 13 Si te febris habet similis me febris habebit :
 14 aegrotem, si tu protinus aeger eris.
 15 Namque eadem fortuna mihi est, vitaeque futurus
 16 terminus, inque tua sors mea certa sedet.
 17 Te quicumque manet casus, me fata subire
 18 hunc statuere, pares disposuere vices.
 19 Dii prohibete nefas igitur : namque una duobus
 20 mors foret, utrisque par foret exitium.
 21 Hunc servate, precor : procul, o procul, atra, recede,
 22 Atropos, atque tuas contine saeva manus.
 23 Num te dira pudet febris temeraria et audax
 24 egregium juvenem sic voluisse premi ?
 25 Vos, quibus est vatum tutela et cura novorum,
 26 Phoebe volens adsis, Bassareuque fave ;
 27 et quae Parnasso gaudetis fonte, Sorores,
 28 vocalis citharae tuque repertor, ades :
 29 pellite torrentes aestus, violentaque febris
 30 spicula propitia frangite, quaeso, manu.
 31 Vester alumnus erit, cujus facundia grandis
 32 largius amne fluet ex Helicone sacro ;
 33 regia bella canet, Mavortia nobilis arma,

34 ac teneros elegos Pindaricosque modos.
 35 Alma Venus, succurre tuo, mitissima, vati,
 36 neu sine delicias sic laborare tuas ;
 37 dulciter hic blandos quoniam sic ludit amores,
 38 molliat ut precibus pectora dura suis.
 39 Ipsa ego, qua fuerat minus exorabilis ante
 40 nulla, tamen flector carmine victa suo.
 41 Incolumem nobis igitur si reddes amantem,
 42 pro meritis aram talibus instituam,
 43 effundamque preces ae vota solemnia solvam,
 44 et te perpetua religione colam.

RESPONSUM

C1_20 v.1 Dum male me vexat febris, dum magnus adurit
 2 aestus et in vitam vim parat ille meam,
 3 dumque mihi superest spes nulla aut parva salutis,
 4 jam miser ut leto proximus ipse forem,
 5 ecce, Venus subito, gemmis auroque decora,
 6 fassa suum numen, constitit ante torum.
 7 Qualis in obscura lucet fax candida nocte,
 8 seu renitet Titan nubibus in mediis,
 9 alma Venus talis fulsit splendore corusco,
 10 hosque mihi roseo protulit ore modos :
 11 "Sum dea, ne dubita, venio quae nuper Olympo
 12 sidereo, spuma quae feror orta maris.
 13 Me lacrimae tetigere tuae, fletusque puellae
 14 aedibus e superis huc rapuere pii :
 15 illa quidem pulchra facie spectanda vel una
 16 aethereos possit sollicitare deos.
 17 Oscula sunt illi vernos redolentia flores,
 18 Hyblaeos sapiunt dulcia verba favos ;
 19 est cui purpureo suffusus corpore candor,
 20 Pestanis credas lilia mixta rosis.
 21 Illa Jovis possit fulmen mollire parentis,
 22 Herculea clavam surripuisse manu ;
 23 ob quam dura suam rabiem deponere Colchis
 24 mitis et hanc propter Cerberus esse queat ;
 25 ipse furens Athamas crudeles flecteret arcus,
 26 atque iram Procne protinus exueret.
 27 Haec igitur terris cum sit mea maxima cura,
 28 illius assiduas sum miserata preces.
 29 Fortunate nimis tali dilecte puella,
 30 est quae inter Tuscas gloria prima nurus :
 31 hanc mihi tu propter curae es non ipse minori,
 32 nec te dissimili prosequimur studio -
 33 veni igitur latura tibi, Jove nempe volente,
 34 auxilium, medicas impositura manus."
 35 Dixerat, et placido pressit mea lumina somno,
 36 ac simul invisit sidera celsa poli.
 37 Dormieram paulum, subito mea pectora sensi
 38 robore inassueto convaluisse mihi.
 39 Plurimus haud aliter lympha restinguitur ignis
 40 apposita, rapidum nec magis urget opus,

41 consumptum febris quam mox exstincta reliquit :
 42 pristinus ingreditur pectora tota vigor.
 43 Ereptus vitae sic sum discrimine votis,
 44 Flora, tuis ; certa est sic mihi parta salus.
 45 Per te vivo equidem, per te revocatus ab Orco
 46 aetherea rursus, lux mea, luce fruor.
 47 Obvenient nobis vitae quae tempora posthac,
 48 haec ego jure uni debeo cuncta tibi.
 49 Si mihi Tithonis dent fata ut metiar annos,
 50 assiduo tecum foedere junctus ero ;
 51 perpetuam patiar tibi me vincire catenam,
 52 a qua me poterit solvere nulla dies :
 53 tantum in amore tuo felicem ducere vitam
 54 opto, voluptatis sola alimenta meae.
 55 Verus amans nullum finem proponit amori :
 56 quicquid agit semper officiosus amat.
 57 Non ego divitias, non regia munera jacto,
 58 Jura libertatis do tibi cuncta meae.
 59 Si sit opus mortem nostra cum morte redemptam
 60 esse tuam, possem non ego velle mori ?
 61 Nam modo principium vitae causamque dedisti,
 62 debetur finis ultimus ergo tibi.
 63 Nulla tuis meritis possem condigna referre
 64 praemia, si regum, si mihi dentur opes :
 65 siqua tamen virtus animi, si corporis ullae
 66 sunt vires, juris sunt ea facta tui.
 67 Non minus Aesonides Medaeae debuit olim,
 68 aurea qua victor vellera surripuit ;
 69 nec minus Aegides Ariadnae debuit olim,
 70 carcere Daedalion qua duce rexit iter.
 71 O me felicem, merui servire puellae
 72 qui tibi, qua numquam pulchrior ulla fuit,
 73 nec magis ardentem carum dilexit amantem ;
 74 non aliquam major sollicitavit amor.
 75 Terra prius solitos proventus falsa negabit
 76 et prius e caelo sidera lapsa cadent,
 77 Nox erit alba, dies tenebris obscura, natabit
 78 frigidus in sicco litore pisciculus,
 79 quam te destituam, quam prava oblivio tantum
 80 officium tollat, quam meus absit amor.
 81 At tibi nulla licet, Venus aurea, praemia possim
 82 exhibuisse, tamen tu mihi semper honos,
 83 atque tuum semper numen venerabor amicum
 84 imponamque aris plurima thura tuis.

FLORA LOQUITUR

C1_21 v.1 Ad te cogit amor querulas emittere voces,
 2 qui facis, heu, vitae taedia ferre nimis :
 3 rumor ait Mariam te perditte amare puellam,
 4 ac te propterea non meminisse mei.
 5 Crudelis nimium, duroque e robore nate,
 6 me teneram ac pulchram spernere tune potes ?
 7 Haec mihi non de te promisi, perfide, quondam,

8 dum face furtiva pectora nostra premis,
 9 ac dum me incautam fallacibus, improbe, captas
 10 blanditiis, lacrimis sollicitasque tuis.
 11 Numquid inexpertam fas est deludere amantem,
 12 quam cogis sacri frangere jura tori ?
 13 Gloria quanta tibi fuerit tribuisse puellae
 14 exitii causam materiamque, gravis
 15 est cui forma, genus, cui digna favoribus aetas,
 16 quae viget ingenio, casta Minerva, tuo !
 17 Lux, mea lux, nostri tandem miserere laboris :
 18 quod scelus est, si me deseruisse voles.
 19 Ah, veteris meminisse velis primordia flammae,
 20 quae tam concordi nos tenuere jugo.
 21 Siqua mihi de te meritorum praemia restant,
 22 si tibi me pura simplicitate dedi,
 23 et colui semperque colam, dum vita manebit,
 24 si sequor imperium fida puella tuum,
 25 brachia, si pateris, supplex ad sidera tendo :
 26 ne me destituas, dulcis amice, precor.
 27 Ad te confugio, vitae pars maxima nostrae :
 28 unus habes vitae jura necisque meae.
 29 Stat tibi si dure sententia condita menti,
 30 ut mea tam diro corda dolore premas,
 31 tolle moras saltem jam jam, finemque labori
 32 tandem pone meo, durior Hippolyto ;
 33 inque caput nostrum letali cuspide saevi,
 34 quo miseram valeam sic superare vicem.
 35 Aspice quam niveos macies jam possidet artus,
 36 et sedeat quantus pallor in ore meo.
 37 Nil miserae superest, nisi claudat lumina somnus
 38 perpetuus, servet frigida membra lapis.
 39 Omnia sic unus consumet funera luctus,
 40 sicque mihi vitae finis acerbus erit !

RESPONSUM

C1_22 v.1 Sancta ad vos clamo rutilantis Numina caeli,
 2 sideraque et tellus testor et oceanum :
 3 En, justas audite preces, audite querelas,
 4 spargere quas miserum dura puella facit.
 5 Barbiton esto procul citharaeque lyraeque sonorae,
 6 haud equidem vos haec carmina maesta decent ;
 7 at magis hic opus est lugubrique nigroque cothurno,
 8 mixtaque cum lacrimis tristia verba decent.
 9 Siqua fides vero est, nullus me vivit amantum
 10 tristior, aut patitur vulnera saeva magis,
 11 trux ubi me tantum verbis crudelibus urget,
 12 insimulat falsis Floraque criminibus.
 13 Impia letiferis cur me tot perdere telis
 14 te juvat, inque caput prosiluisse meum ?
 15 Ah, nimium infelix, quo me sors improba vexit,
 16 excruciant quantis noxia fata modis !
 17 Num tibi sic notus, sic exploratus habetur
 18 noster amor, num sic sum tibi carus ego,

19 ut suspecta fides mea sit, suspectus et ardor,
 20 alterius captum me quod amore putes ?
 21 Scilicet hoc misero tribuis solamen amanti,
 22 haec fuerat morbi num medicina mei ?
 23 Ante, mihi nullae stimularant pectora curae,
 24 retia vel noram nulla Cupidinea :
 25 rudis eram, neque adhuc Veneris versatus in armis
 26 submiseram nulli corda premenda jugo,
 27 cum me pestiferis rapiunt tua lumina flammis,
 28 et mea mortifero cuspide corda feris.
 29 Hinc, heu, tantorum manavit causa malorum,
 30 prodiit excidii principiumque mei,
 31 atque ita non solito imprudens correptus amore
 32 subcubui, longo tempore vulnus alens :
 33 nec pietas tamen ulla modo durissima tangit
 34 pectora, sed validas congeris usque faces.
 35 Grande quidem scelus est cepisse et ludere capto,
 36 atque preces duro spernere corde pias.
 37 En, ego te primis sine crimine perditus annis
 38 dilexi, floret dum juvenile decus,
 39 laeta dies ex quo nobis, heu, praestita per te
 40 rara fuit, vita est sed cumulata malis.
 41 Et modo, quo tantum foveas non aequa dolorem,
 42 insimulas nostram destituisque fidem ;
 43 spernis amatorem, quo non est firmior alter,
 44 ac miserum cogis, injuriosa, mori ;
 45 accumulas nostri causam viresque laboris,
 46 pasceris et lacrimis non satiata meis.
 47 Languescit veluti cum flos succisus aratro
 48 purpureus, quem vis parva secuta necat,
 49 vis ita parva caput poterit confringere nostrum :
 50 debilitas adeo corpora fessa terit.
 51 Torqueor, et vires animum corpusque relinquunt,
 52 sunt mihi singultus tristitiaequae comes,
 53 et spes omnis abest, maestum solatur amantem
 54 nil, nisi mors artus solvat amica meos.
 55 Militiam cupio tam saevam ponere tandem :
 56 me quicumque velox exitus excipiat,
 57 dum modo sit finis luctus, modo vincula rumpam,
 58 ac fugiam poenae tristia damna meae !

DEPLORAT ABSENTIAM AB AMICA

C1_23 v.1 Non tulit exilium gravius qui vellera Colchis
 2 aurea fretus ope Phasidos eripuit,
 3 nec magis indoluit patrias cum linqueret oras
 4 Cadmus et ignotam quaereret exul humum,
 5 plura nec Arcadia profugus suspiria traxit
 6 Evander, dubiam matre docente viam,
 7 quam me nunc miserum crudelia fata secutum
 8 cura premit vehemens, excruciatque dolor,
 9 infelix quoniam maerens invitus et aeger
 10 tam procul a domina cogor abesse mea,
 11 cujus in aspectu posita est mea summa voluptas

12 ac residet vitae portio magna meae.
 13 Illa suis roseis laetissima praebet ocellis
 14 gaudia, me cuius ora serena beant ;
 15 haec facie insanas expellit pectore curas
 16 atque animum luctu sevocat illa gravi ;
 17 haec mihi solamenque mali requiesque laborum,
 18 praesidium vitae portus et aura meae.
 19 O mea cunctorum lux formosissima rerum,
 20 o mihi deliciae perpetuumque decus !
 21 Quando erit, ut niveos vultus flavosque capillos
 22 visam, qui circum lactea colla fuunt,
 23 ac tantum possim teneros complectier artus,
 24 figere purpureis oscula rapta genis ?
 25 Non aliter gelidaeque nives tenuesque pruinae
 26 paulatim in stillas solis ad ora madent,
 27 absentem quam nunc dominam me cura videndi
 28 anxia consumit nocte dieque simul.
 29 Aut igitur, redeam, dexter, da, Juppiter, oro,
 30 da cito me Floram cernere posse meam,
 31 aut properet mors atra manus imponere saevas
 32 extremumque mihi claudat amica diem.

DE AMORIS SOLLICITUDINE

Cl_24 v.1 Unica me, Bracci, semper nimiumque molesta
 2 sollicitat miserum cura, diserte comes :
 3 muneribus neu quis nostram precibusque puellam
 4 se putet in votum ducere posse suum.
 5 Flora quidem simplex tota est ac retia nulla
 6 novit et incauto se movet illa pede,
 7 callidus at meus est nimium rivalis et audax,
 8 milleque praebet amor fraudibus usque modos.
 9 Namque docet quo saepe modo, qua fraude, quot armis,
 10 quisque suam dominam fallere, possit amans ;
 11 difficilem reddit facilem quencumque laborem
 12 occultumque ullum non sinit esse dolum.
 13 Ignaras hinc saepe vides peccare puellas,
 14 quas variis audax decipit ille modis ;
 15 hinc dulci conjunx imponere saepe marito
 16 cogitur et fidum frangere connubium ;
 17 hinc timor insomnes igitur me ducere noctes
 18 suspectosque dies semper habere facit.
 19 Idaeus me nunc pastor, me nunc et Abydi
 20 fidus amans Hero sollicitat juvenis,
 21 et modo rivalem timeo Martemque Jovemque,
 22 Attalicae me nunc divitiaeque movent.
 23 Ac video siquem nostram spectare puellam,
 24 illius hunc factum credimus esse procum ;
 25 quin vereor ne sit communis nostra voluptas
 26 pluribus, ad dominam neu pateatque via,
 27 dulcia neu furtim rapiant mea poma latrones,
 28 neu carpant violas purpureasque rosas.
 29 Et, quamvis nostra haec, Bracci, pomaria semper
 30 aggeribus coner reddere saepta novis,
 31 non tamen a variis furum tuta esse putarim

32 insidiis, quorum copia magna viget.
 33 Ergo meis nequeo securus amoribus uti :
 34 nulla dies misera suspicione vacat.
 35 Sic me curarum stimulis urgentibus actum
 36 excruciat longus sollicitusque timor,
 37 nec mihi praebet amor quicquam dulcedinis urens,
 38 quod non, felle citus misceat ille suo ;
 39 sic mihi nulla datur stabilis seu longa voluptas,
 40 quin celer hanc turbet diripiatque timor.
 41 Adde quod et laedunt mox quae juvasse videntur,
 42 siqua juvant, paulo post tamen illa nocent ;
 43 haec sed habent finem : lacrimas, suspiria, luctus,
 44 perniciem, caedes, jurgia, bella, minas.
 45 Talibus, heu, miseri pariter cruciamur amantes
 46 suppliciis ; heu, sic vexat iniquus amor.
 47 Praemia tantorum sunt haec fructusque laborum,
 48 nec requies tantis sumitur ulla malis.
 49 O igitur felix, cui non est cognita, Bracci,
 50 dira Cupidinea missa sagicta manu !

QUERITUR SE PRIVATUM AMICA

C1_25 v.1 Sidereis miserum quis me spoliavit ocellis,
 2 quis mihi jucundam surripuit dominam ?
 3 Dulcis ab aspectu quis me sejunxit amicae,
 4 tam grave quis potuit substinuisse nefas ?
 5 Laeta quis in tristes vertit mea gaudia luctus,
 6 quaeve meam in Syrtes impulit unda ratem ?
 7 Dulcia quis nobis infecit pocula felle,
 8 miscuit et tantis quis bona nostra malis ?
 9 O me infelicem, quidnam nisi flebile amantem
 10 nunc decet et lacrimae perpetuusque dolor ?
 11 Cur ego nunc vitae spatium mihi longius optem,
 12 quin cupiam extremum claudere morte diem,
 13 cum mihi nunc desit propter quod vivere tantum
 14 optabam, multos et superesse dies,
 15 Lux mea sola, meae spes maxima et unica vitae,
 16 solamenque mali praesidiumque boni ?
 17 Postubi fata simul felicem ducere vitam
 18 nos prohibent, nostris invida fata bonis,
 19 vive memor nostri saltem, pulcherrima Flora,
 20 haereat et cordi Braccius usque tuus,
 21 qui te constanti est semper veneratus amore
 22 et coluit firma perpetuaque fide,
 23 diliget et semper, fuerit dum vita superstes,
 24 atque etiam fuerint cum sua membra cinis -
 25 si modo vivaces curae defuncta sequuntur
 26 corpora, defunctis suntque viris comites.
 27 Nec, quia, Flora, procul distem, minuentur amores,
 28 nec minor ignis erit frigidiorque calor,
 29 tempus edax quem non poterit delere, nec ulla
 30 carmina, qui nulla sorte perire queat.
 31 Jamque vale, et miseri maneat tibi pectore lixum
 32 nomen Alexandri, candida Flora, tui.

SIMILIS QUERELA

C1_26 v.1 Huc, infelici quicumque teneris amore,
 2 huc ades, et miseros excipe, quaeso, sonos,
 3 huc, cui surripuit sors importuna puellam,
 4 fer gemitus tecum tristitiamque simul !
 5 Evocat ad lacrimas huc vos mea Musa perennes,
 6 quas me crudelis fundere cogit amor :
 7 hic, ubi conspicuus magnus bellator in armis
 8 me miserum fregit ceu solet hostis atrox,
 9 victor ut impositis vinclis spoliisque potitus
 10 exitio premeret me magis ille gravi.
 11 Proh dolor, heu, cara memet sejunxit amica,
 12 heu, dominam rapuit perfidus ille mihi !
 13 Propter quam fuerat non me felicior alter,
 14 nec fuerat nostro laetior ullus amor :
 15 hanc modo sed nequeam cum cernere, ut ante solebam,
 16 heu, nostro non est tristior ullus amor.
 17 Sed, postquam amisi solacia, gaudia, risus,
 18 atque voluptates, deliciasque simul,
 19 nil, nisi mors, nostrum potis est sanare dolorem,
 20 quae me jam tantis eximat una malis.
 21 Sed, prius emoriar, versis ad sidera palmis,
 22 Hoc rogo vos supplex numina sancta deum :
 23 ut possim dulcem praestare videre puellam,
 24 et possim tantum dicere : "Flora, vale" !

QUERELA

C1_27 v.1 Siquis amans umquam crudelia sensit amoris
 2 vulnera vel saevas sensit habere manus,
 3 ille ego sum, jaculis ictum gravioribus ipse
 4 quem miseris fodit dissecuitque modis.
 5 Hic etiam assiduis adeo mea colla catenis
 6 continuit vinctum ferreus ille puer,
 7 ut jam nulla meum requies lenire dolorem
 8 auxiliumque mihi res dare nulla queat,
 9 cum mihi nunc fuerit lepidissima rapta puella,
 10 quae fuerat vitae portio magna meae,
 11 quae dum captivum memet vinctumque tenebat,
 12 tunc ego liberior omnibus unus eram ;
 13 hocque jugum nobis semper jucundius ipsa
 14 quam modo libertas, servitiumque fuit.
 15 Hei mihi, qui poteram deflectere lumina nusquam
 16 illius a facie sole micante magis,
 17 nunc miser, heu, cogor cara procul esse puella,
 18 nec possum dominam cernere ut ante meam,
 19 amissam quam nunc fatis urgentibus amens
 20 fletibus et luctu prosequor assiduis,
 21 pro qua tot lacrimas fudi, miserabile dictu,
 22 flumina quot prorsus constituisse queant.

23 Integra nam poterat me delectare voluptas
 24 nulla, meae praeter ora serena deae,
 25 purpureos praeter vultus oculosque nitentis,
 26 et praeter Florae dulcia verba meae.
 27 Sic ego, sic pereo : sed nostra puella soluta est
 28 sic ego nunc uror : illius alsit amor.
 29 Lex injusta nimis, crudelia vincla tyranni
 30 me quoque conveniens rumpere nonne fuit ?
 31 Nunc video ut nostram pietas non tangat amicam,
 32 sitque oblita modo protinus illa mei,
 33 quaeritet utque alios juvenes quoque perdere fallax
 34 utque dolos aliis insidiasque paret.
 35 Ut studium, curas, operam totumque laborem,
 36 tempus et officium sustulit una dies !
 37 Cernimus ut sanctum foedus vindicta puellas
 38 rumpere formosas poenaque nulla manet.
 39 Omnia sint in amore ingrata atque irrita, fidos
 40 tam male facta procos quam bene facta juvent :
 41 nunc scio possit amor quantum, quot semper amantes
 42 sollicitet miseros discrucietque modis,
 43 multaue pro minimo dulci gustentur amara,
 44 finita ut requies, ut sine fine labor,
 45 immensusque dolor, brevis et fugitiva voluptas,
 46 ut glacies ardens, frigidus utque calor.
 47 Novimus, heu, tandem lacrimis quam pluribus ut sit
 48 rebus in humanis pejus amore nihil.
 49 A quo me potero siquando excludere morbo,
 50 o ego quam felix quamque beatus ero !

SIMILIS QUERIMONIA

C1_28 v.1 O mihi saeva dies, nigro signanda lapillo,
 2 tristis origo mei principiumque mali,
 3 lux infausta nimis, tenebris obscurior atris,
 4 lux magis, heu, cunctis perniciosa mihi,
 5 tu me felicem quondam, nunc tristia cogis,
 6 improba lux, querulis aedere verba notis.
 7 Quae mihi, quae postquam tantorum causa malorum
 8 maxima debueras initiumque fore,
 9 Hora meae saltem vitae suprema fuisses,
 10 ultima luminibus hora videnda meis -
 11 dulcis enim mors est miseris et vivere triste :
 12 illa graves finit, haec alit usque vices - ;
 13 nam modo me diris non frangeret unda procellis,
 14 nec jactaretur nostra carina mari.
 15 Quid mage pestiferum contingere possit amanti
 16 quam dominam solito non retinere sinu ?
 17 Me miserum mallet Floram sprevisse rogantem
 18 quam precibus victam succubuisse meis,
 19 immitem nobis mallet duramque fuisse
 20 quam lacrimis nostris se exhibuisse piam.
 21 Tantus enim me nunc luctus, suspiria, curae
 22 haud premerent, capiti perniciosa meo,
 23 non adeo graviter domina caruisse dolerem,

24 nec tam languerent pectora fessa diu.
 25 Lethaeas potasse magis conduceret undas,
 26 esseque Leucadiae non grave pondus aquae,
 27 ora serena meae quam mente tenere puellae,
 28 ureret et quam me semper acerbus amor.
 29 Tantorum ut fierem vel sic oblitus amorum,
 30 urenti vel sic liber ut igne forem !
 31 O quotiens illam fallacia somnia nobis
 32 restituunt, quotiens basia nota damus ;
 33 o Veneris quotiens solitis luctamur in armis,
 34 jungimus et quotiens pectora nuda suis !
 35 Sed, postquam ostendunt tantum mihi somnia Floram,
 36 somnia fulgenti lucidiora die,
 37 est et amara dies postquam, causamque doloris
 38 praebet et in luctu me facit esse diu,
 39 o ego quam vellem totis dormire diebus,
 40 clauderet et longus lumina maesta sopor !

EXCUSAT AMORIS SUI INTEMPERANTIAM

C1_29 v.1 Corporis insanos longa valitudine morbos
 2 ulla levare hominum vix medicina potest,
 3 namque solet quodcumque magis vexatque premitque
 4 corpus, id infectum reddere posse magis,
 5 atque ope tunc medica multo majore necesse est
 6 longius et multo est omnis, amice, labor.
 7 Durius at tanto est animi languentis acerbam
 8 atque aegrotantis pellere posse luem,
 9 corporibus quanto est praestantior ille caducis
 10 et refugit quanto noxia quaeque magis.
 11 Sed non est animo pestis mortalior ulla
 12 nec pejor quam sit perniciosus amor :
 13 dirum namque infert atque immedicabile vulnus
 14 et ferit invicta pectora nostra manu.
 15 Illius auratis etiam sacra numina telis,
 16 victa deum huic uno colla dedere jugo.
 17 Ille Jovem solio summum detrusit ab alto
 18 compulit et terras visere saepe suas.
 19 Vertit et in formam bovis et candentis oloris,
 20 falleret Europen fecit Agenorida,
 21 atque per impluvium grando cum decidit auri
 22 in gremium Danaes, hoc quoque suasit amor.
 23 Flumen ad Amphrysum Phoebum pavisse juvencos
 24 Admeti niveos impulit ille deum ;
 25 et quem nullus amor dominum tetigisset Averni,
 26 hunc Cereris natam vi rapuisse facit.
 27 Quid Bacchum referam, Venerem Martemque tremendum,
 28 quid genitum Maia caelicolasque alios ?
 29 Quid memorem heroum tot milia sive virorum,
 30 perdidit ut miseris impius ille modis ?
 31 Namque tot haud bellis hominum periere malignis,
 32 tot neque sustinuit Thessala terra neces,
 33 sanguine Pharsaliam nec foedavere Quiritum
 34 corpora civili tot quoque caesa malo,

35 perfida nec vidit tot strages Africa diras,
 36 quot dedit humano saevus amor generi.
 37 Es mihi, Troja, nimis locuples, maestissima, testis,
 38 infelix nihil es quae nisi pulvis iners :
 39 tu quondam Phrygiae dominatrix maxima toti,
 40 nunc Helenam propter, ob Paridemque jaces ;
 41 ac Simois Xanthusque mihi sunt flumina testes,
 42 nam vos sanguineas saepe tulistis aquas.
 43 Improbis ille patriam cum sanguine saepe nefandas
 44 impulit, heu, natas commaculare manus.
 45 Ausa nefas dirum Scylla est, patriamque patremque
 46 prodidit, ut Minoi concubuisse queat ;
 47 Quod tu, Nise, doles natamque per aera, poscis,
 48 ut sceleris tanti praemia digna ferat.
 49 Impulit hic matres caros et perdere natos :
 50 testis es o Procne, Phasias esque mihi.
 51 Impulit hic etiam fraterno sanguine fratres
 52 spargere crudeles et scelerare manus.
 53 Hunc igitur miserum cum me delectet amantem
 54 nexibus implicitum detinuisse suis,
 55 non ego sum fortis tantum validusque gravisque,
 56 solus ut haec possim vincere bella virum :
 57 et me vexat amor, viresque exercet iniquas
 58 in nostrum semper ferreus ille caput.
 59 Quod, si forte miser totiens erumpere voces
 60 in querulas videor sive dolere nimis,
 61 nec possum tantos extinguere pectoris aestus,
 62 a quibus infelix tam premor ipse diu :
 63 lector parce, precor, tanti miserere laboris,
 64 ac sine me tristes aedere saepe sonos,
 65 est quoniam nostri melior medicina doloris
 66 nulla, nec afflictum cor magis ulla levat.

AD FLORAM OBIURGATIO

C1_30 v.1 Siccine me tandem lusisti, perfida, amantem
 2 illecebris miserum blanditiisque tuis ?
 3 Sicne juvat captum fallacibus, improba, verbis
 4 implicitumque dolis detinuisse tuis ?
 5 Novimus, heu, sero fueris quam fallere docta
 6 et tibi quam non sit perfida nulla fides,
 7 quam tibi sit casti reverentia nulla pudoris,
 8 nec moveant dextrae conscia jura datae.
 9 Siccine me tandem lusisti, perfida, amantem
 10 illecebris miserum blanditiisque tuis ?
 11 Heu, memini quotiens jurasti, perfida, numquam
 12 posse datam nobis te violare fidem,
 13 dixisti quotiens protendens brachia collo
 14 praeter me nullum posse placere tibi ;
 15 sed rapidi secum venti tua verba tulere
 16 irrita, non uno vindice digna deo.
 17 Siccine me tandem lusisti, perfida, amantem
 18 illecebris miserum blanditiisque tuis ?
 19 Quid facis ah demens ? Tota jam spargitur urbe

20 dedecus in magnum fabula nota tuum.
21 Quae semel a turpi maculatur crimine fama,
22 candorem numquam vindicat illa suum ;
23 quae mulier rari metas limenque pudoris
24 praeterit, errantes haec habet usque pedes.
25 Siccine me tandem lusisti, perfida, amantem
26 illecebris miserum blanditiisque tuis ?
27 Hei mihi, quid potuit contingere tristius ullum,
28 quam te furtivo secubuisse toro ?
29 Conqueror ergo fidem laesam laesumque pudorem,
30 tristius et nequeo tam grave ferre nefas.
31 Est ubi nunc studium, quo me coluisse tot annos
32 finxisti, mendax, quove recessit amor ?
33 Siccine me tandem lusisti perfida, amantem
34 illecebris miserum blanditiisque tuis ?
35 Cordane sunt adeo duro tibi condita poste,
36 ut modo nullus amor tangat iniqua mei ?
37 Ille ego sum, qui te propter contemnere vitam
38 non timui, pro te qui mala tanta tuli,
39 exposuique caput magnis variisque periculis,
40 quo tibi fidus amans non magis alter erit.
41 Siccine me tandem lusisti, perfida, amantem
42 illecebris miserum blanditiisque tuis ?
43 Ipse ego, te postquam coepi male cautus amare,
44 altera mi potuit non placuisse magis ;
45 tam cunctis qui te dilexi viribus amens,
46 quam dilecta magis nulla puella fuit ;
47 Te propter rapidis qui languida pectora flammis
48 gestavi infelix, perfida Flora, diu.
49 Siccine me tandem lusisti, perfida, amantem
50 illecebris miserum blanditiisque tuis ?
51 At tu, qui nostro frueris modo laetus amore
52 uteris et nostris, insidiose, bonis,
53 haec precor in lacrimas vertantur gaudia tristes ;
54 te malus excruciet exagitetque furor.
55 Ac te nulla juvet, sit quamvis summa, voluptas,
56 et requiem nullis rebus habere queas,
57 nec te delectet nisi quod sit flebile et atrum
58 et nisi quod gemitum tristitiamque ferat.
59 Concubitus adeo vexet te dira cupido,
60 te juvet ut tantum concubuisse feris ;
61 ac tua perpetuo crucientur corda dolore,
62 praecipitem donec te male sanus agas.
63 Sed tu, Flora, tuae jam tandem consule famae,
64 inque bonam redeas, jam verecunda, viam,
65 et meminisse velis sancitae foedere legis,
66 servandamque fidem jam meminisse velis !
67 Turpia quod si te minime perjuriam terrent,
68 nec curare deos improba facta putas :
69 veh tibi, namque dabis meritas pro crimine poenas
70 tam grandi, meritum suppliciumque feres !

SE IPSUM INCREPAT ET CONSOLATUR

C1_31 v.1 Jam tandem a lacrimis revoca tua lumina, Bracci,
 2 tristibus, et luctus excute corde graves,
 3 pone modum tanto, demens, finemque dolori,
 4 hoc neque mortiferum pectore vulnus ale,
 5 nec patere ut vehemens adeo te cura fatiget
 6 haec, miserum langor neu premat iste diu,
 7 deseruit quoniam tua te lasciva puella
 8 immeritum, atque illi quod placet alter amor.
 9 Haud haec transfodit solum tua corda sagitta,
 10 hoc neque inauditum est insolitumque nefas :
 11 passus idem est ferme quisquis mulieris amorum
 12 subdidit imprudens inscia colla jugo.
 13 Nam mutabilius, Bracci, quam femina nil est,
 14 cujus amor nescit firmior esse diu.
 15 Sol neque frigoribus densas glaciesque nivesque
 16 aureus in liquidas tam cito solvit aquas,
 17 tam cito nec rapido flores siccantur ab aestu,
 18 nec mare tam subito saeva procella ciet,
 19 quam cito feminei torpescunt pectoris aestus,
 20 inque leves cineres tam cito flamma perit.
 21 Hyblaeas ut apes varius delectat in arvis
 22 flos, hominum varius ut juvat ora sapor,
 23 femina diverso sic delectatur amore,
 24 sic varias juvenum quaeritat illa dapes.
 25 Haec levior foliis et verna incertior aura est,
 26 cujus verba fide dissimulata carent.
 27 Nulli fidus amor, sancti neque cura pudoris
 28 est ulli, casto non cubat ulla toro ;
 29 corpore casta licet, tamen ulla haud mente pudica est :
 30 siqua tamen renuit, post renuisse dolet.
 31 Dulcibus illecebris miseros deludit amantes
 32 atque novis fallax decipit illa modis ;
 33 mille habet urendique vias artesque magistras
 34 atque est ad laqueos ingeniosa nimis :
 35 stultus at est verbis, quorum illi copia, blandis
 36 crediderit siquis, sunt quia plena dolis ;
 37 non jurata movent ullam sacra numina divum,
 38 perfidiae poenas non timet ulla suae.
 39 Ergo sit inconstans, Bracci, cum femina, mendax,
 40 instabilis, fallax, perfida, vana, levis,
 41 cur lacrimis, demens, luctus ita pascis inanes
 42 turpibus ? Ah, fortem te decet esse virum.
 43 Sume animum tandem, lascivam sperne puellam,
 44 hanc sine, cui pietas nec pudor ullus inest,
 45 ac fuge fallaci deinceps plus fidere amori,
 46 nec patere esse tibi mollia corda : vir es.

LIBER SECUNDUS - LIBER EPISTOLARUM AD AMICOS

PETRO SODERINO

C2_01 v.1 Forte die, quo sacra colunt solemnia Thomae
 2 Christicolae, Medicum dum pede calco viam,
 3 insignis forma nec adhuc mihi cognita virgo
 4 est cupidis oculis obvia facta meis.
 5 Haec erat incessu, rosea cervice decora,
 6 gratus erat celsae cui quoque frontis honor ;
 7 addebantur ad haec collecta modestia vultus,
 8 atque decens gravitas, virgineusque pudor.
 9 Hanc ut fama tuo docuit, Soderine, jugatam
 10 esse toro, subito talia voce dedi :
 11 o juvenum saeculi fortunatissime nostri,
 12 conjugio tali facte beate quidem !
 13 Argentina tibi fatorum sorte locata est,
 14 sponsa diu thalamo debita jure tuo :
 15 grata quidem species ac tali digna marito ;
 16 tu quoque, tu tali conjuge dignus eras.
 17 Conjuge tu merita possessus, et illa merenti
 18 est possessa viro : par in utroque jugum.
 19 Convenit illa tibi, sed tu quoque convenis illi :
 20 felices ambos quam bene junxit hymen !
 21 Nam tibi laudato juveni rarissima conjunx
 22 contigit, estque datus vir quoque rarus ei.
 23 Quis generis praefulget honor, quis gloria patrum
 24 par, quibus est aetas et juvenile decus ?
 25 Ut vos ergo dies, fatorum conditus albo
 26 omine, sancita junxit amicitia,
 27 visceribus totis sic vos amplexa tenete
 28 pectora : concordēs una catena liget.
 29 Implicat et truncos hederæ ceu ramus inermes,
 30 vos ita vincite mutua corda simul ;
 31 alternis castum versate sub ossibus ignem,
 32 parque sit ambobus ardor et unus amor ;
 33 conjugis optatae niveos tu leniter artus,
 34 illa viri placidos contegat usque sinus.
 35 Ire tibi gelidas et si foret usus ad Arctos
 36 ultra Sauromatas Oceanique salum,
 37 illius aut Phrygius vitiet nec adulter amorem,
 38 Penelopesve proci, sagave lena dolis ;
 39 intactum tamen illa torum tibi servet amanti
 40 et cupiat reditum casta puella tuum.
 41 Argentum quod habet Babylon, quae pondera Lydus
 42 aurea possedit Croesus, et Indus opes,
 43 dulcia non frangant sacri connubia fulcri :
 44 sit suus at semper jure pudicus amor,

45 sitque fides illi stabilis, praeterque jugalem
 46 pectoribus flagret nulla favilla suis.
 47 Haec tibi formosam pariat pulcherrima prolem
 48 persimilem matri persimilemque patri,
 49 et longos tecum feliciter exigat annos,
 50 vester et assidua pace fruatur amor.

EPISTOLA IN PERSONAM ARGENTINAE MALESPINAE
 AD PETRUM SODERINUM EIUS CONIUGEM

C2_02 v.1 Si petis unde mihi subeant in carmina vires
 2 litteraque alterno sit mea juncta pede :
 3 Aoniae versus mihi non finxere sorores
 4 nec numeris nostris auctor Apollo fuit,
 5 sed dolor haec urgens docuit me scribere tantum,
 6 materiam nobis ingeniumque dedit,
 7 volvere multiplices miseram qui pectore curas
 8 discessum propter me facit usque tuum,
 9 qui mihi luminibus lacrimas fletusque perennes
 10 nutrit et assiduo corda dolore premit.
 11 Sed primum quid maesta querar, quae numina culpam
 12 praecipue dictis nescio laeva meis ?
 13 Siderane incusem crudelia, fatane dicam
 14 invida laetitiae tam cito facta meae,
 15 an vos, qui diro fodistis viscera ferro
 16 Insubrium clari magnanimique ducis,
 17 Argentina, meis sectabor inulta querelis
 18 ut causam nostri principiumque mali ?
 19 Nam dulcem cum patre virum discedere nostrum
 20 cogitis et patria tam procul ire sua,
 21 Quod tantum patrare nefas temerariaque ausi
 22 estis sanguinea tingere tela manu.
 23 Lux mea, certa salus, spes o fidissima, nostri,
 24 vitae sola quies praesidiumque meae,
 25 insperata tuo quaenam me causa removit
 26 aspectu, subitis implicuitque malis ?
 27 Quis tantum adversus casus tantumque sinister
 28 colloquio fecit me caruisse tuo,
 29 ut loca, ceu profugus, peteres aliena, fugaci
 30 exul ad externos ut vehereris equo,
 31 sisque adeo furtim velox accinctus eundo,
 32 fas ut vix fuerit dicere : "Petre vale" ?
 33 Sed, veluti puro cum Titan aethere fulget
 34 et pulsus toto nubibus orbe micat,
 35 cum subito Scythiis Aquilo consurgit ab oris
 36 omneque per caelum nubila densa trahit,
 37 illicet in nubes sol conditur aureus atras
 38 contrahit et radios eripiturque solo :
 39 sic es tu nostris, conjunx, sublatus ocellis ;
 40 te celeres nimbi praeripuere mihi.
 41 Infelix nimium cuinam deserta relinquer ?
 42 Quis mihi solamen, quis mihi tutor erit ?
 43 En ego, quae patriam liqui carosque parentes
 44 et potui notis omnibus esse procul,

45 ut tecum vitam cunctos ageremus in annos,
46 utque uno semper te comitata forem,
47 saucia nunc validos agito sub corde dolores,
48 discrucior suavi me procul esse viro ;
49 quocum, nec simulo, cunctis ego rebus egena,
50 dum modo sis praesens, vivere malo diu,
51 absenti quam nupta viro terraeque marisque
52 imperio, gemmis, divitiisque frui.
53 Illa quidem vel casta parum vel ferrea tota est,
54 conjugue disjuncto vivere siqua potest.
55 Non vestes auro, nuptae, nitidisque lapillis
56 intextas petite marmoreosque Lares ;
57 non optate domi vobis ancilla ministret
58 plurima, servorum magnave turba colat :
59 adsint ut cari dulcesque optate mariti,
60 ut foveat praesens pectora vestra calor.
61 Heu propria, conjunx, vita mihi carior ipsa,
62 quo magis a sponsa nullus amatus erit,
63 si tibi tam cordi fuerat, si cura parentem
64 devia legatum per loca cuncta sequi,
65 me quoque debueras tecum duxisse relictam :
66 fecissem levius hoc ego prorsus iter ;
67 te sociam decuit tibi me conjungere : saltem
68 lubrica rexissem lora cadentis equi.
69 Siquis et adversum raperet te casus, adessem,
70 ac mea dextra tibi prompta tulisset opem.
71 Eventus comitem quin te complexa fuisset
72 in cunctos equidem, noxia nulla timens,
73 ac tecum praesens discrimina quaeque subissem,
74 turpiter et pro te si moritura forem.
75 Non miserae fieres tanti modo causa doloris,
76 nec mea languerent tristia corda modo,
77 non mihi liquisses orbem, Soderine, cubile,
78 flebilis absenti nec mihi causa fores,
79 nec mea nocturnae rupisses gaudia rixae,
80 frigida nec faceres vertere membra toro.
81 Certe ego non possum strato requiescere lecto,
82 claudit et infirmus lumina maesta sopor,
83 suscipiunt stabilem nec pectora nostra quietem ;
84 in somnisque mihi plurima saepe nocent.
85 Nulla die miseram delectant gesta puellam,
86 sublevat et gemitus actio nulla meos ;
87 assiduus nitidos conturbat fletus ocellos,
88 nec sparso cessant imbre madere genae.
89 Plena domi luctus apparent cuncta paternae
90 tristitiamque foris omnia visa ferunt.
91 Praesentes video praesens agnoscoque nullos,
92 absentis tantum cernimus ora viri.
93 Nil nisi te cupio. Sine te mihi nulla voluptas
94 esse potest : conjunx, tu mihi, sole, places.
95 Tu decus omne meum, nobis tu solus honori es,
96 esse mihi sine te gloria nulla potest.
97 Quare age, festina, nec longior ulla moretur
98 segnities : properans jam, Soderine, redi !
99 Huc tandem concede, precor, miseramque revise
100 uxorem : lacrimis pascitur illa suis.

101 A te jam castum repetit sua jura cubile,
102 jam merito queritur te procul esse nimis.
103 Ipse meos, conjunx, junxisti primus amores,
104 sic precor ut noster sit tibi primus amor :
105 te moveant luctus tenerae fletusque puellae,
106 te gemitus moveant conjugiique preces.
107 Quod si plus aequo tardaveris, usque doloris
108 est adeo vehemens causa potensque mei,
109 ut, fueris postquam Laribus patriaeque reversus
110 atque oculis in me verteris ipse tuos,
111 mutata verear cogaris dicere ne me,
112 et ne me quam sim forte putes aliam.
113 Paulatim niveos jam pallor serpit in arctus,
114 candida purpureus deserit ora color,
115 paulatim macie turpi crispantur obesa
116 pectora, paulatim flos juvenilis abit.
117 Vera loquar, conjunx : non me tibi lumine taeda
118 dextro conjunxit alitibusque bonis.
119 Quod feci doleo, jam jam me paenitet ultro
120 quod mea fallaci est zona recincta manu.
121 Nam mihi dixisti numquam me linquere posse,
122 non tibi si Cosmi, Petre, darentur opes,
123 et modo tam minima pro re mihi foedera rumpis,
124 oblitus fidei tam cito jure datae.
125 Dic mihi : mutavit quae te sors impia ? Quidnam
126 propositum vertit tam cito, fare, tuum ?
127 Tantane durities residet tibi pectore saevo,
128 ut longe a pulchra conjuge abesse velis ?
129 Sic et inexpertam voluisti fallere amantem
130 et sponsam viduo deseruisse toro ?
131 Siccine discedens connubia nostra refellis ?
132 Pertaesum thalami tam cito sicne fuit ?
133 Nullane res potuit durae pervertere mentis
134 consilium, lacrimae nec tetigere piae ?
135 An tibi nulla fuit cordi clementia ? Maestae
136 nec tenuit pietas conjugis ulla tuae ?
137 Non haec pollicitus nobis, ingrata, fuisti,
138 hoc neque jussisti me trepidare malum,
139 sed fore dixisti thalamum inviolabile nobis
140 passurum et nullo tempore dissidium ;
141 irrita sed venti secum tua verba ferebant,
142 dum mihi mendaci talia voce dabas.
143 Num te crudeles adeo genuere parentes ?
144 Forsitan immitis te tulit unda maris,
145 Quod me tam subito nihil abs te tale merentem
146 congressa primi deseris ipse tori ?
147 Justa queror : Jovis una soror te pronuba Juno,
148 te quoque, sancte, precor te, genialis Hymen,
149 jura maritalis quorum sub nomine lecti,
150 conjugii leges sub ditione vigent,
151 en, justas audite preces miseramque puellam
152 aspiciate, atque virum conciliate mihi.
153 Alma Venus praesens nostro succurre labori,
154 dextera praesidium porrige facta mihi.
155 Tu, qui letiferis animalia cuncta sagittis
156 militiae cogis aera merere tuae,

157 fundis et in superos atque ima in Tartara vires,
 158 cogis et imperio cuncta subesse tuo :
 159 qualibus incensam jaculis facibusque puellam
 160 uris, et igniculis qualibus ipsa calet,
 161 talibus in sponsum torrentes incute flammam
 162 ardentisque suis cordibus adde faces,
 163 inque suum validas pectus deprome sagittas ;
 164 da sit amor similis, par sit utrisque calor,
 165 ut redeat miserae saltem succensus amore,
 166 daque morae impatiens sit, precor, ille brevis,
 167 utque pedem sospes ad nos veloxque reflectat,
 168 ne peream tandem victa dolore gravi.
 169 Nam mihi nulla datur requies et nulla voluptas :
 170 infelix tantum maereo sola domi.
 171 Incutiunt nobis etiam segura timorem,
 172 laedere quae nequeunt, haec nocuisse puto ;
 173 cuncta quidem vereor, cui mille pericula sese
 174 ostendunt, ac sum plena timoris ego.
 175 Nunc timeo ne sis peregrino captus amore,
 176 sollicitam nunc me reddit avara Thais,
 177 et modo ne tristi languescant pectora morbo ;
 178 afficiunt variis me quoque multa modis.
 179 Sed facile haec poteris solus tu demere, conjunx
 180 exspectate, mihi si rediisse voles :
 181 quod facias precibus summis lacrimisque profusis
 182 abs te contendo suppliciterque peto.
 183 Dii, quibus est imbres tempestatesque potestas
 184 sedare et brumam difficilemque hiemem,
 185 pellite cuncta, precor, dubio vaga nubila caelo,
 186 loraque frigoribus temperiemque date ;
 187 ac removete nives, glacies, pluviasque malignas,
 188 atque iter omne meo sternite molle viro ;
 189 et zephyris aperite vias caelumque serenum
 190 praestate, atque simul spiret ut aura levis,
 191 ut tandem incolumis redeat Soderinus amanti
 192 uxori, tantus cesset ut inde labor,
 193 hunc ut post varias curas longosque labores
 194 aspiciam, et caro conjuge laeta fruam.
 195 Haec ego maesta tibi maestissima carmina mitto :
 196 da veniam, si qua liberiora leges,
 197 iram pone, precor, laedent te si qua, marite ;
 198 hinc dolor, hinc aequus scribere jussit amor.

AD GINEVRAM BENCIAM PUELLAM FORMOSISSIMAM

C2_03 v.1 Ille sali numerare licet pertentet harenas
 2 immensumque nimis aggrediatur opus,
 3 qui morum et formae studeat tibi dicere laudes,
 4 te quibus haud umquam clarior ulla fuit :
 5 sic tamen et veneror simul atque admiror utrumque,
 6 afficiorque adeo propter utrumque tibi,
 7 ut memorare meis ausim te versibus, ore
 8 quos precor ut placido, cara puella, legas,
 9 Bencia carminibus celebrari digna Tibulli,

10 dignaque divino carmine Callimachi,
 11 quam canat et Gallus, culti quam Musa Properti,
 12 digna sacris vatum protinus ingeniis.
 13 Parcite vos reliquae Tusca regione puellae :
 14 haec superat cunctas moribus et facie ;
 15 illa Fluentinis est unica gloria nymphis,
 16 splendor et ornatus perpetuumque decus.
 17 Qui cupitis, vates, aeterna in saecula nomen,
 18 semper et a cupida posteritate legi,
 19 aurea carminibus dicatur Bencia vestris,
 20 Bencia, quae vestrum nobile reddet opus.

AD CLARISSIMUM EQUITEM VENETUM BERNARDUM BEMBUM

C2_04 v.1 Bembe, tuum merito quis carpere possit amorem,
 2 quisve faces valeat carpere jure tuas ?
 3 Bembe, tuum magnis quis non extollat amorem
 4 laudibus, altisonis non celebretque modis ?
 5 Namque foves casto flammam in corde pudicas,
 6 turpeque nil, sapiens, illicitumque cupis,
 7 nec formosa tibi, nisi quae sit casta, videri
 8 ulla potest, nisi sit clara pudicitia.
 9 Castus amor tuus est : castas colis inde puellas,
 10 nec tibi pulchra placet, sit nisi casta simul.
 11 Nil igitur mirum, castas si Bencia tantum
 12 injecit flammam pectus in omne tuum :
 13 namque pudicitiam si quis respexerit hujus,
 14 haud neget hanc priscam vincere Penelopen ;
 15 Illius at faciem si quis meditetur honestam,
 16 non eat inficias vincere Tyndarida.
 17 Sitne tamen formosa magis quam casta juvenus
 18 in dubio est omnis, lisque agitur adhuc :
 19 pulchrior hac tota non cernitur urbe puella
 20 altera, nec major ulla pudicitia.
 21 Ergo tuum merito quis carpere possit amorem,
 22 quisve faces valeat carpere jure tuas ?
 23 Bembe, tuum meritis qui non extollit amorem
 24 laudibus, huic circum stat sua corda silex ;
 25 impius est nimium, tristemque in pectore nutrit
 26 invidiam, ac totus ferreus ille vir est.

AD EUNDEM

C2_05 v.1 Mittimus has violas, digitis quas legit eburnis
 2 et dignata suo est Bencia nympa sinu.
 3 Sit datus unde tamen nobis si forte requiras
 4 hic flos, in nostras inciditque manus :
 5 Bencia, dum peterem celeberrima templa verendae
 6 virginis, est oculis obvia facta meis ;
 7 ut me conspexit, veteris quem foedere junctum
 8 novit amicitiae protinus esse tibi,
 9 permisit violas manibus cecidisse solutis,

10 rara fore ut legerem, Bembe, daremque tibi.
 11 Accipe dona igitur nutu tibi missa puellae,
 12 delicias inter semper habenda tuas.

AD EUNDEM

C2_06 v.1 Bembe, decus Veneti clarum, Bernarde, Senatus,
 2 deliciae patriae, splendor honosque tuae,
 3 gratia frontis inest oris cui tanta sereni
 4 cui nitor est morum tantus amabilium,
 5 ingenium tantum, virtus quoque tanta gerendis
 6 rebus et eloquii pondera tanta gravis,
 7 omnis ut observet te Florentina juvenus,
 8 sis patribus carus, sis in honore viris -
 9 ac tua sublimis tota resplendet in urbe
 10 fama, velut radians Lucifer ante diem -
 11 dii tibi dent patriae felicis carbasa portu
 12 colligere, ac patrios dent tetigisse Lares,
 13 ac tibi dent longae felicia tempora vitae,
 14 et tibi dent annos vivere Nestoreos,
 15 conjugis optatos amplexus, oscula nati,
 16 et dextris dextras jungere posse manus.
 17 Bencia te lacrimis Bembum comitetur euntem,
 18 arguat inque suas numina surda preces,
 19 atque moras cupiat longas, iter ardua tardent
 20 cuncta tuum superis supplicet illa deis,
 21 discessum adversis ventis gravibusque procellis
 22 optet ut impediunt astra benigna tuum.

AD EUNDEM DESCRIPTIO HORTI LAURENTII MEDICIS

C2_07 v.1 Ne me forte putes oblitum, Bembe, laboris
 2 propositi nuper cum Meliore mihi,
 3 decevi Medicum quaecumque legantur in horto
 4 scribere, quod Melior non queat ille tuus.
 5 Prodeat in campum nunc et se carmine jactet :
 6 namque mihi validas sentiet esse manus,
 7 cumque viro forti, cum bellatore tremendo,
 8 milite cum strenuo proelia saeva geret,
 9 victorique dabit victus vel terga potenti,
 10 me vocitans clarum magnanimumque ducem,
 11 vel captiva meos augebit praeda triumphos,
 12 afferet et titulos Crescia palma novos.
 13 Nunc hortus qui sit Medicum placido accipe vultu -
 14 perlege nunc jussu carmina facta tuo !
 15 Villa suburbanis felix quem continet arvis,
 16 Caregio notum cui bene nomen inest.
 17 Non fuit hortorum celebris tam gloria quondam
 18 Hesperidum, jactet fabula plura licet,
 19 regis et Alcinoi fortisque Semiramis horti
 20 pensilis, aut Cyrum quem coluisse ferunt,
 21 quam nunc est horti Laurentis gloria nostri,

22 incllyta fama, decus, nomina, cultus, honor.
 23 Hic olea est pallens Bellonae sacra Minervae,
 24 et Veneri myrtus, aesculus atque Jovi ;
 25 hic tua frons est, qua sese Tirynthius heros
 26 cinxit honoratum, popule celsa, caput.
 27 Est etiam platanus vastis ita consita ramis,
 28 illius ut late protegat umbra solum.
 29 Hic viridis semper laurus, gratissima Phoebo,
 30 qua meriti vates tempora docta tegunt.
 31 Ante Mithridatis quam nondum Roma triumphum
 32 viderat, hoc surgit hebanus ampla loco ;
 33 hic piper et machir, gariophilon, assaron, ochi,
 34 mellifluens nardum, balsama, myrrha, loton ;
 35 intubus est etiam terebinthus, casia, cedron,
 36 hic et odoratus nobilis est calamus.
 37 Thus quoque fert sacrum superis hic terra Sabaeum,
 38 fert cytisum, clarum, laudibus Antiochi.
 39 Est abies, pinus, buxus, viridisque cupressus,
 40 nascitur hic quercus, robor, taeda, larix ;
 41 est suber, est cerrus, fagus, quin carpinus, ilex,
 42 fraxinus, et quicquid silva nemusque ferunt.
 43 Sunt ulmi, salices, dum, fragilesque genistae,
 44 sambucusque levis, sanguineusque frutex,
 45 cornus, lentiscus, terrae quoque proxima fraga,
 46 praedulces siliquae, castanaeque nuce.
 47 Sunt et quae Romae dederat tua poma Lucullus,
 48 cerase, mora rubens, acida sorba juglans.
 49 Hic et Avellanae sunt, Appia mala, pirumque
 50 omnigenum, ficus, persica, chrysomila,
 51 Punica mala et cotona, Cydoneumque volemum ;
 52 turbaque prunorum vix numeranda subit.
 53 Vitia, panicumque, fabae, farrago, lupinum,
 54 pisa, cicer, milium, far, triticumque bonum,
 55 ervum, fasellus, lens, sisima, oriza, siligo,
 56 tiphe, similago sunt aliae segetes.
 57 Quin cucumis, melopepo, cucurbita longa, papaver,
 58 allea, caepa rubens, porraque cum raphanis,
 59 angurium, coriander, eruca, nepeta, et anesum,
 60 marubium triste est, asparagusque simul,
 61 serpillum, petroselinum, amaratus, onyx,
 62 beta, cicoreum, brassica, menta, ruta.
 63 Quid dicam varias uvas dulcesque liquores,
 64 qui mage sunt suaves nectare, melle, sapa ?
 65 Quid violas referam, celseminos bene olentes,
 66 quid niveas memorem purpureasque rosas ?
 67 Cur te, Bembe, moror ? Sunt hoc plantata sub horto
 68 quicquid habent Veneti, Tuscia quicquid habet.
 69 Pomorum species hoc omnis frondet in horto,
 70 hortus et hic olerum fert genus omne virens ;
 71 hic florum poteris cunctorum sumere odores,
 72 hic, si tu quaeras, omne legumen erit.
 73 Haec nos pauca tibi de multis scripsimus : at, cum
 74 plura voles, melius lumine cuncta leges,
 75 lustrabisque oculis excelsa palatia regum
 76 instar et egregia quaeque notanda tuis ;
 77 nam, si cuncta velim perstringere versibus, o quam

78 difficile atque audax aggredieremur opus !

AD BAPTISTAM FERRARIENSEM THEOLOGUM INSIGNEM

C2_08 v.1 Arrige nostra libens aures mentemque tabella
 2 nunc acue, et monitis sis modo prompta meis :
 3 haec mandata vigil memori mihi perfice mente,
 4 ut domino semper fida vocere tuo.
 5 Magnipotens urbs est Venetis contermina lymphis
 6 divitiis pollens, fertilitate soli,
 7 quam Phaetonteius nitidis interfluit undis,
 8 moenia lata secans, populiferque Padus.
 9 Haec habet heroas plures, dominosque potentes,
 10 fulget et Herculei sub ditione ducis.
 11 Qua sua templa fovet saxo constructa vetusto
 12 praesidium fidei Paulus honorque sacrae,
 13 haec eremita colit Carmelitusque sacerdos,
 14 imponitque aris plurima thura suis :
 15 incolit haec noster dulcis Baptista sodalis,
 16 cultor amicitiae sedulus usque bonae,
 17 qui novit quaecumque velint mysteria divum,
 18 sint licet arcanis condita verba notis,
 19 ingenium velox partes ita flectit in omnes,
 20 ut nihil hunc lateat quod bene nosse velit.
 21 Nunc mea dicta memor vigilansque capesse tabella
 22 verbaque servatis imbibe nostra locis :
 23 sed ne fallat iter longum te, neu male perdas
 24 inscia quam nunc es tu petitura viam,
 25 accipe quo possis tutos perducere gressus
 26 et peronatos ponere docta pedes.
 27 I celer, et Galli portam de nomine dictam,
 28 i pete : collis adest proximus, illa via est.
 29 Haud procul occurret mons Ughius, indeque Petra
 30 passibus a mille nomen adepta suum.
 31 Cum progressa parum fueris, tunc Pactia sese
 32 Porticus, en, oculis offeret ampla tuis ;
 33 si foret inde sitis nimium tibi forte molesta,
 34 aucupis hanc poterit caupo levare tibi.
 35 Hinc iter arripies per pingua rura Mucelli :
 36 fertilis hic ager est frugiferumque solum ;
 37 illic plura licet videas cincta oppida muris,
 38 Scarparia tamen sola adeunda tibi est.
 39 Hinc Homo pone sequens est mortuus ; inde nivali
 40 vertice sunt colles, qui juga montis habent.
 41 Hinc Florentiolae videas post moenia notae,
 42 hic lautas epulas ponere caupo solet.
 43 Ulterius celsam quam tu prospexeris arcem,
 44 hanc pete : Caprennus dicitur ille locus.
 45 Post quem, cui lolium tribuit sua nomina, pagum
 46 reperies ; Plana est hunc quoque villa prope.
 47 Nec mora longa viae superest, cum videris urbis
 48 egregiae muros, splendida tecta, domos.
 49 Illa viris meritos doctis largitur honores,
 50 ingenium cuivis excolit illa rude.

51 Quod modo restat iter vestigia mille docebunt,
 52 seque tibi passim praeuia cuncta dabunt,
 53 Herculeam postquam tandem perveneris urbem,
 54 ingredi optatas clam taciturna fores,
 55 et properans, sis fessa licet, latitansque propinquam
 56 et foribus junctam tu cito posce viam,
 57 per quam cum fueris paulum profecta, sinistra,
 58 flecte manu, Pauli limina sancta subi.
 59 Obvius at postquam dabitur Baptista roganti,
 60 haec illi nostro nomine verba refer :
 61 te jubet incolumem, salvum te Braccius esse,
 62 atque diu memorem te rogat esse sui ;
 63 nec secus exoptat carum te visere amicum
 64 et tecum dextram jungere posse manum,
 65 quam Strophio genitus comitem cupiebat Orestem,
 66 distaret longa cum procul ille via.
 67 Sed cito numinibus compos sua vota secundis
 68 explebit, paulo post quia me sequitur :
 69 namque, Fluentini legati scribat ut acta
 70 atque notaturus quaeque notanda, venit,
 71 mittit ad illustrem quem nunc Florentia sedem
 72 Herculeam, radiis quae micat aucta novis.
 73 Haec ubi rettuleris, nusquam discedere tenta,
 74 nec visendae urbis te premat ullus amor,
 75 hic quia censores magni veteresque Catones
 76 versantur, gravibus afficiuntque notis :
 77 hic viridi celebres redimiti tempora lauro
 78 sunt vates digni posteritate legi.
 79 Quos inter Titus est magnus praestansque poeta,
 80 vatium deliciae Pieridumque decus.
 81 et soboles Baptista Guerinia, rhetor honestus,
 82 emicat ingenio, fulget et eloquio ;
 83 quin etiam Carbo longum memorandus in aevum
 84 hos inter clara splendet et ipse face :
 85 suavibus hi docti numeris seu ludere vates,
 86 fortia seu grandi dicere bella pede.
 87 Occultas igitur latebras pudibunda require,
 88 dum, venio, ut mecum tuta redire queas ;
 89 nam, si forte horum quisquam te cerneret, o quam
 90 ridiculum cunctis efficereris opus,
 91 ac fieres piperis notus vilisque cucullus,
 92 ac tegeres thumni sordida frustra mali !

TOPOGRAPHIA MONASTERII MONSQUETI AD PHILIPPUM SACRAMORUM

C2_09 v.1 Quicumque ille fuit Monsquetae conditor aedis,
 2 Icareas pennas hunc habuisse puto :
 3 quo magis at facies horum tibi nota locorum
 4 esse queat, nostris accipe carminibus.
 5 Est locus Etrusco Monsquetus nomine dictus,
 6 sunt ubi Pastori templa dicata Petro,
 7 Quem lapis a nostra tantum disternat urbe
 8 bis decimus, quo nil tristius orbis habet.
 9 Templaque sublimi cingunt ea vertice montes

10 hinc celsi, alitibus vix adeunda Jovis,
 11 praecipites illinc rupes vallesque coronant,
 12 in quorum dorso grandia saxa rigent.
 13 Nec patet ingressus cuiquam, non exitus ulli
 14 cernitur, at vepres omnia clausa tenent :
 15 horridior toto qua non est altera vallis
 16 orbe, nec immitis adjacet ulla magis.
 17 Omnia sunt illic deserta atque aspera : vastae
 18 speluncae, et passim proxima quaeque silent,
 19 robora praeterquam, cum dant agitata fragorem
 20 clamoremque ferunt per nemus omne suum,
 21 ac praterquam cum magnis ululatibus implent
 22 omnia torvus aper Martius atque lupus.
 23 Sol radios illuc numquam demittit, et ortum
 24 Occasumque suum non videt ille locus,
 25 sed nebulae semper circumstant aethera densae,
 26 quae jubar exoriens huc penetrare vetant.
 27 Non ager hic segetes maturat fertilis ullas,
 28 hic neque pampinea cernitur uva coma ;
 29 non oleae rami sunt hac tellure virentis,
 30 haec neque Apollinea fronde beatur humus ;
 31 arboribusque ullis nec dulcia poma leguntur,
 32 floris et ornatus versicoloris abest ;
 33 non opus agricolae est glebas invertere pingues
 34 vomere, non opus est sollicitare boves :
 35 infecundus ager sterilisque est instar harenae,
 36 nilque suo patitur crescere posse solo.
 37 Omnis praeterea locus hic procumbit in amnem,
 38 cui latices qui sint nomine nosse potes :
 39 dicitur Infernus, quoniam, Phlegethontis, Averni
 40 persimiles habeat sive Acherontis aquas ;
 41 et merito, cum sint hic omnia monstra locorum
 42 qualia Plutonis regna triformis habent,
 43 ut dubites malit proprias hic ponere sedes,
 44 cum sint haec tenebris commodiora suis.
 45 Huc igitur fuerim cum te, Sacramore, profectus
 46 hortante, et nullo me praeunte duce,
 47 non ab re posthac tantum te dicar amasse,
 48 Inferni ut pro te sim quoque potus aquas.

IN CATTAM

C2_10 v.1 Delicias inter domini, mea catta, priores,
 2 quae fueras oculis carior una meis,
 3 Pannonias celebri poteris seu vincere forma,
 4 vincere seu cursus dexteritate levis.
 5 Promptior ad nutus qua non erat ulla virorum
 6 nec domini jussis ocior ulla sui,
 7 non infesta magis pugnabat muribus hostis
 8 ulla quidem, plures nec dabat ulla neci.
 9 Pellis erat maculis albis distincta nigrisque,
 10 formosi qualem tegmina lyncis habent ;
 11 nulla quidem dorsum viderunt saecula tale,
 12 nec visa in terris pulchrior ulla fuit.

13 Te miris unam tollebant laudibus omnes,
 14 nil facie poterat gratius esse tua.
 15 Quis mihi te rapuit manibus sceleratus iniquis,
 16 sustulit et domino munera cara suo ?
 17 Quisquis es o cattam nobis auferre misellam
 18 ausus, et in nostros improbus esse jocos,
 19 te, precor, Altitonans metuendo fulmine tangat
 20 Juppiter, immerset Tartareosque lacus,
 21 furacesque manus penitus sacer ignis adurat,
 22 ut sceleris tanti praemia digna feras,
 23 qualia Mulcibero genitus praedator amoeni
 24 collis Aventini Cacus acerba tulit,
 25 clavigeri tauros cauda cum traxit in antrum
 26 non levis hospitibus ruricolisque timor.
 27 Unguibus haec saevis oculos tibi fodiat atros,
 28 unguibus haec laniet pectus et ora tibi,
 29 rebus et in cunctis semper tibi praebat omnem
 30 perniciem, semper sitque molesta tibi,
 31 incolumis nobis donec reddatur et ultro
 32 ad notos properans cursitet illa Lares.

AD CHRISTOPHORUM LANDINUM

C2_11 v.1 Me tibi tantus amor, praestans Landine, dicavit,
 2 nostra rudis quantum Musa referre nequit ;
 3 nam livore malo capitur magnaue laborat
 4 Invidia, ac totus ferreus ille quidem est,
 5 qui te non solum non diligit, at neque mores
 6 miratur placidos ingeniumque tuum.
 7 Magnus es orator, moris praecepta severi
 8 jussaue naturae condita quaeque notas ;
 9 insignis rhetor, linguae praecepta Latinae
 10 atque etiam Graiae dogmata vera tenes ;
 11 ac, seu bella virum, teneros seu ludis amores,
 12 utraque mirandos fert tua Musa pedes.
 13 Hinc tibi jam virtus cunctos patefecit honores,
 14 jam notum toto est nomen in orbe tuum.
 15 Hunc igitur praestate virum, sacra numina vatum,
 16 possit longaevos aequiparare senes,
 17 delicias quoniam vestras servabitis, et qui
 18 Maeonia rursus concinat arma lyra.

AD MARSILIUM FICINUM

C2_12 v.1 Ingenio meriti si praeberentur honores,
 2 sique forent doctis praemia digna viris,
 3 magne Ficine, diu tibi jam diadema fuisset
 4 impositum, capiti debita signa tuo,
 5 inque sacerdotes merito colerere priores,
 6 teque ego nudarem praetereunte caput.
 7 Auctores monumenta suos si clara sequuntur
 8 ingenii, et docta scripta notata manu,

9 nulla tuum nomen poterit delere vetustas,
 10 ac tibi, crede mihi, fama perennis erit ;
 11 scripta legunt quoniam tua jam vulgata Britanni,
 12 illa Tomitani gensque Sabaea legunt,
 13 ut taceam nostros, quorum versaris in ore
 14 et qui te in caelum laudibus usque ferunt.
 15 Ast ego cur tenui calamo tibi dicere laudes
 16 tempto ? Quid haec raucis versibus ipse cano ?
 17 Dulcius eloquium namque haec majusque requirunt,
 18 et magis exculpta sunt celebranda lyra ;
 19 haec ego sed magno succensus amore notavi :
 20 da veniam, nisi te carmina digna leges.

AD NALDUM NALDIUM

C2_13 v.1 Phoebe, Musarum decus atque custos -
 2 qui, nisi solis radios habena
 3 temperes, omnis penitus jaceret
 4 orbis aductus ;
 5 quem tulit Python nimium potentem,
 6 ore Latonam rabido sequens, quod
 7 hanc mari divum geminam coegit
 8 credere prolem ;
 9 novit et quantum validus sagitta
 10 arcus et sacris humeris pharetra
 11 apta vi possit, moriens Cyclopum
 12 funditus agmen ;
 13 tu quidem caelo puerum dicasses,
 14 triste si fatum spatium dedisset :
 15 sed tamen flos es Tyrio par ostro
 16 facte Jacynthe,
 17 si poetarum juvat esse numen,
 18 haeret et cordi tibi cura vatium,
 19 auribus Musis placidis amicas
 20 excipe voces :
 21 sospitem Naldum, precor, a periculis
 22 omnibus serves reducemque avitis
 23 finibus reddas, queat ut sodales
 24 visere caros.

AD FRANCISCUM SAXECTUM

C2_14 v.1 Assiduo quamvis te mercatura labore
 2 occupet ac dentur otia nulla tibi -
 3 unde fides miranda tua est et lucida virtus
 4 urbibus Eois, urbibus Occiduis -,
 5 non tamen ipse operam praebes, Francisce, minorem,
 6 quod vix credibile est, artibus ingenuis,
 7 non minus Ausoniis incumbis, docte, Camenis
 8 Castalidosque colis Pieridosque lacus.
 9 Doctus habes magno cunctos in honore poetas,
 10 Quod facile ante omnes Fontia Musa docet :

11 Fontius est locuples testis, virtute decorus,
 12 dives et eloquio carminibusque potens.
 13 Jamque vale, et longaeva tibi tua fila sorores
 14 nectere concordēs fata benigna velint,
 15 Euboici possis aequare ut pulveris annos,
 16 Tithoni longos exsuperasse dies,
 17 natorum valeas non tantum cernere natos,
 18 sed tritavus caram visere progeniem.

AD UGOLINUM VERINUM

C2_15 v.1 Cum modo nascentem praecedat, clare poeta,
 2 Carliadem celebris fama, Verine, tuam,
 3 intrepidās late cum jam protenderit alas,
 4 advolet et celsas candida facta domos :
 5 en, quid erit, postquam fuerit tibi carmen adultum
 6 Carliados, postquam coeperit illa loqui ?
 7 Non tantum meriti Latio tribuerunt honores,
 8 nec solum nostri laurea sarta dabunt,
 9 sed passim lato semper celebraberis orbe,
 10 ibit et ad geminos maxima fama polos.
 11 Nam tibi Pierides sublimia carmina fingunt,
 12 concinis et docto regia bella pede,
 13 jamque diu serpit circum tua tempora laurus
 14 Aonia, et vatum praemia certa manent.
 15 Quare age, ne dubita, coeptoque incumbere labori,
 16 perpetuum quoniam sic tibi nomen erit.

AD ANGELUM POLITIANUM

C2_16 v.1 Tanta tibi tenero cur surgat pectore virtus,
 2 quanta vel annoso vix queat esse seni,
 3 ac tua grandisono reboent cum docta cothurno
 4 carmina, magnanimo non nisi digna duce,
 5 et tibi sit locuples oris facundia docti,
 6 teque suis ditet Graecia litterulis :
 7 te precor in longos ut servet Juppiter annos,
 8 incolumemque sinat vivere posse diu.
 9 Nam tua Maeonio multum certantia, vati
 10 carmina quis dubitet Virgilioque fore ?
 11 Atque decus magnum nostrae clarumque futurum
 12 quis neget aetatis te, memorande puer ?
 13 Sis igitur felix, nostri spes maxima saeculi,
 14 teque putes nobis carius esse nihil.

AD LAURENTIUM EMPORIANUM HORTORUM CULTOREM

C2_17 v.1 Hortorum celebris fuerit quam gloria quondam
 2 Hesperidum, satis hoc fabula prisca docet ;
 3 at modo majus habet nomen Teanensius hortus,

4 quem te, Laurenti, composuisse ferunt,
 5 qui vacuum late fama jam personat orbem,
 6 pulsat et aetherei sidera celsa poli.
 7 Laurenti, quae te cum gloria certa sequatur
 8 auctorem titulis afficiatque novis,
 9 non miror, veteris quod sis oblitus amici
 10 et quod sis factus turgidus inde nimis.
 11 Nam, cum fingendis tantum tibi nomen in hortis
 12 quaesieris, laus sit tantaque parta tibi,
 13 cumque datus custos illis sis fidus, et uni
 14 sit quoque servandi credita cura tibi,
 15 sisque Priapo etiam multo membrosior ipso -
 16 es, Laurens, etenim mentula totus iners :
 17 te puto jam sanctum numen partesque Priapi
 18 Hellespontiaci sumere velle dei.
 19 Et jam te positum video cum falce saligna
 20 furaces horto pellere quasque manus,
 21 ac te divinos cerno quoque poscere honores,
 22 utque tibi in templis rudat asellus iners :
 23 quod siquando deum numerum cumulaveris, oro
 24 sis memor ut nostrae, dexter, amicitiae.

CARMEN RIDICULUM AD MELIOREM CRESCIUM

C2_18 v.1 Cum Naldo, Melior, nostro caenabis apud me :
 2 nulla tibi melior caena parata fuit.
 3 Quid melius Musis, melius quid, amice, poetis
 4 esse potest, omnes cum superent epulas ?
 5 Adfuerit quoniam citharae modulator Apollo,
 6 caena tibi haec vates Pieridasque dabit.
 7 Carmina tu cunctis cantabis dulcius unus,
 8 carmina tu dapibus his meliora dabis ;
 9 carmine sive velis, seu vis sermone soluto
 10 sic resonas, scopulos ut reboare putes.
 11 Tu valles mugire facis durareque saxa,
 12 flumina tu solitis cursibus ire facis ;
 13 Te cantante, riget glacies concreta nivali
 14 frigore, muta quidem bellua quaeque silet.
 15 Haec canimus surdis, et amant ridicula vates :
 16 ergo, tibi cum sit cena parata, veni !

AD CAROLUM POGGIUM

C2_19 v.1 Carole, quem Latiae genuit laus incllyta linguae
 2 Poggius, eloquio dives et ingenio,
 3 cujus fama virens semper nomenque manebit
 4 inter Hyperboreos inter et Ausonios,
 5 aurea fulgebunt roseo dum sidera, caelo,
 6 dum caput oceani sol quoque merget aquis,
 7 dum liquidum volucres sulcabunt aethera pennis,
 8 prodiga dum tellus mitia poma feret :
 9 jam propria titulos auges virtute paternos

10 et genus et nomen tollis in astra tuum.
 11 Te pater est nato, soboles tu digna parente :
 12 vendicat aeternum nomen uterque sibi ;
 13 nam tibi facundo Poggi, ceu fonte perenni,
 14 scilicet eloquium manat ab ore novum.
 15 Punica tu nosti quicquid Romanaque castra
 16 gesserunt armis, aemula regna, feris,
 17 bella quot Euphrates movit, quot Tigris et Ister,
 18 et quot sint ferro milia caesa virum,
 19 dinumeras toto quot sint et proelia mundo
 20 gesta, ducesque refers ordine quosque suo.
 21 Mente adeo retines abs te perlecta tenaci,
 22 effluat ut numquam quod semel ipse legis ;
 23 Ingenium quocumque placet versatile flectis,
 24 nil tibi difficile est quod didicisse velis.
 25 Innumeris doctos effers doctissimus omnes
 26 laudibus, officiis prosequerisque tuis,
 27 omnibus ut merito doctis sis carus : at uni
 28 tu tamen es cunctis carior ipse mihi.
 29 Nam praecone mea est te non explosa Thalia,
 30 oraque doctorum carmina nostra legunt ;
 31 te suadente sacros libavi e fonteliquores,
 32 Parnasi colitur te mea Musa duce.
 33 Nec mirum cum tu laudes mea carmina : namque
 34 laudatis vera est laus placuisse viris.
 35 Quod, siquid nostrae possunt in carmina vires,
 36 hoc equidem totum debeo doque tibi.

AD CALVUM AMICUM ABSENTEM

C2_20 v.1 Attica si centum mihi nunc talenta darentur,
 2 essent conspectu non mage cara tuo.
 3 Cernere te conjunx optat, carique parentes,
 4 te soror et frater, te tua tota domus.
 5 Optatus cunctis venies : teque ipsa videre,
 6 sit quamvis infans, filia parva cupit.
 7 Quid referam quantos fletus Antonia mater
 8 jam tua, quot lacrimas fuderit atque parens ?
 9 Nec desiderium te natum utrique videndi
 10 ulterius, venias tu nisi, ferre queunt.
 11 Huc igitur propera, patriamque Laresque revise,
 12 namque tuos omnis visere tempus adest.
 13 Quid cessas igitur ? Cur non calcaria nectis ?
 14 Sessor equum jam jam scande, citusque veni.

AD ANTONIUM CLEMENTIUM

C2_21 v.1 Legi versiculos, non sine gaudio,
 2 aspersos latice fontis Apollinis,
 3 gratos usque videndos
 4 versus inter amabiles.
 5 Quod, si non renues munera Cynthii

6 multo - virtus enim sic adipiscitur ! -
 7 contingenda labore, et
 8 forti pectore perferes,
 9 o quam te, lyrico carmine nobilem,
 10 nullis inspicio vatibus imparem
 11 venturo fore saeclo,
 12 vel fama vel honoribus !

AD NICOLAUM MICHELOCTIUM IN LUCILIUM CARMEN RIDICULUM

C2_22 v.1 Saevum, horrendum, ingens atque invincibile bellum
 2 Lucilium, cerebrum nimirum mobile, fama est
 3 moliri, ac peditum turmas equitumque cohortes
 4 praemisisse ferunt jam jam validasque phalanges,
 5 opprimat incautos ut nos ac vincat inermes.
 6 Proh dii, quis modus est tantos avertere casus ?
 7 Numina quaenam tot sedabunt dextra tumultus,
 8 immanemque adeo nam quis placaverit iram ?
 9 Quis mollire queat tantumque ferocia corda ?
 10 Quis feret auxilium ? Quis nos tutabitur hoste
 11 tam valido ? Omnipotens nobis defensor adesto,
 12 Juppiter, et tantos propius compesce furores,
 13 ac procul a nobis tam magna pericula, dexter,
 14 dejice, et invictas praesta vires animumque,
 15 diripienda manu simus ne praeda cruenta.
 16 Sed video quam me jam nunc timidumque rudemque
 17 incuses, Nicolae, nimis dum talia fundo :
 18 en, ego sum forti clypeo contectus et hasta,
 19 atque animum pugnae rapit incredibilis ardor ;
 20 mique manus ambae jaculis onerantur acutis,
 21 quae torquere parat virtus sibi conscia in hostem,
 22 Illius inque animam diffundere tela cruentam.
 23 Tu quoque ne dubita mecum ire in proelia fortis,
 24 et vagina audax educere cominus ense :
 25 irrita jactantem nequicquam jurgia tristes
 26 Lucilium inferias Stygiae mitemus ad umbras.

AD EUNDEM


C2_23 v.1 Albam cum nudius tibi papyrus
 2 quartus flagito, dicis : hanc libenter
 3 cras mittam : venit ecce cras, amice :
 4 tu das nil tamen. Unde rursus oro,
 5 dones ut tenui simulque pura
 6 nos charta : nihil. At resume prorsus
 7 posthac vilibus id daturus usque,
 8 illi qui teretes agunt cucullos
 9 seu turpem faciunt rudes pagellam,
 10 et multos male sordidos in usus
 11 vertunt : ast ego promerem tabellas,
 12 quis te nunc reliquosve consodales
 13 Appellem modo litteris amicis,

14 et nunc versiculis citem venustis
 15 torpentes animos ab insolenti
 16 somno, taedia qui parit maligna,
 17 ut sic otia nos habere honesta
 18 possimus, Nicolae dulcis omni
 19 semper tempore Braccio sodali.

AD GULIELMUM BECCHUM EPISCOPUM FESULANUM

C2_24 v.1 Mercuri, curvae citharae parens et
 2 Pindari sacrum modulate carmen,
 3 qui doces plectro resonare lyram
 4 Anacreontis :
 5 supplices, nostris facilem precamur
 6 spiritum praestes fidibus, decoras
 7 ut queam laudes celebrare grandi
 8 carmine dignas.
 9 Nam queat magni cumulos virentis
 10 quis viri laudis meritos referre
 11 barbito pressa, nisi sit deorum
 12 numine fretus ?
 13 Praesulum nobis decus est canendum,
 14 almus antistes, probitate clarus,
 15 dignus aeternum Gulielmus omnis
 16 quem colat aetas.
 17 Aureos mores habet ille, prudens,
 18 integer, clemens, pius ac benignus ;
 19 dulcis est illi facilisque sermo
 20 atque modestus.
 21 Hoc quidem nemo colit aut deorum
 22 sanctius cultus meliusve leges
 23 servat, aut rectos magis ullus actus
 24 diligit alter.
 25 Improbos damnat celebratque justos,
 26 utili praefert sapiens honestum,
 27 fraudis est vindex bonus atque sordes
 28 nescit avaras.
 29 Hunc vocet castum magis et pudicum
 30 Phaedra quam durum Hippolytum noverca,
 31 Hunc magis dicat Stheneboea, castum
 32 Bellerophonte.
 33 Arduis fortis, dubiisque rebus
 34 est ei prudens animus, secundis
 35 firmus, ut nullo valeat moveri
 36 fulminis ictu.
 37 Doctus est rerum facile explicare
 38 conditas vires, quibus insit atris
 39 frigidus venis cruor, et Minerva
 40 pinguis inhaeret.
 41 Quid deum sermo velit, ille clausis
 42 abditus verbis sacer, ille novit,
 43 dogmatum pastor bonus usque cunctos
 44 solvere nodos.
 45 Quid velint mores docet elegantes,

46 litteris sacris simul et profanis
47 praeditus, quem nec lateant disertis
48 verba magistri.
49 Siderum lapsus fugit aut recursus
50 hunc neque, haud ortus Hyadum cient quid,
51 quam ferat magnas pluvias Orion
52 Vergiliaeque.
53 Qualibus certe meritis fatemur
54 debitum sacro capiti, remoto
55 jam diu pullo, croceum galerum
56 purpureumque.
57 Sed quid extensos titulos vagamur
58 per suos, tamquam vacuum per orbem
59 vel per immensi fragili oceani
60 aequora lembo ?
61 Sit satis nobis voluisse tantum
62 Lesbiis dignum fidibus referre
63 nomen, Alcaei meritum quod ornet
64 Musa sonori.



Portrait d'Alessandro Braccetti, par le Pérugin